UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0001

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

MVSEVM
FLORENTINVM

EXHIBENS

INSIGNIORA VETVSTATIS MONVMENTA

QVAE FLORENTIAE SVNT

IOANNI GASTONI
ETRVRIAE MAGNO DVCI

DEDICATVM.

FLORENTIAE. ANNO. CIↃ. IↃ. CC. XXXIIII.

Ex Typographia Francisci Moücke.

Ex
Bibliotheca
Universitatis
Heidelbergensis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0003

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

STATVAE
ANTIQVAE
DEORVM
ET
VIRORVM ILLVSTRIVM
CENTVM AEREIS TABVLIS INCISAE
QVAE EXSTANT
IN THESAVRO MEDICEO
CVM OBSERVATIONIBVS
ANTONII FRANCISCI GORII
PVBLICI HISTORIARVM PROFESSORIS.

FLORENTIAE. ANNO. CIↃ. IↃ. CC. XXXIIII.
Ex Typographia Francisci Moücke.

PRAESIDVM PERMISSV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0004
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0005

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

I.B. Campiglia in. et del. I.B. Lerbourg sc.

AD LECTOREM

PRAEFATIO

ANT. FRANCISCI GORI.

ENIO Cultorum venerandae Antiquitatis, rerum pulcherrimarum hac noſtra aetate ſupra omne exemplum ſtudioſiſſimo, ut in votis erat, ſtato tempore, laeti lubenteſque offerimus alterum Volumen, complectens inſignes STATVAS DEORVM ET VIRORVM ILLVSTRIVM, quas inenarrabili ſtudio, immenſo labore, ſumma diligentia, exquiſito artificio perfecerunt SCVLPTORES, ac STATVARII praeſtantiſſimi, qui e Graecia diſciplinarum artiumque omnium altrice ad augendam eius nominis gloriam feliciter prodiere: quibus profecto operibus in univerſa priſcarum elegantiarum ſupellectile nihil pulchrius, nihil magnificentius, nobilius auguſtiuſve nihil exſtare pleno omnes ore fatentur. STATVAS politiſſima arte confectas, utpote praecipua urbium decora, omnis aetas avida contemplatione ſemper ſuſpexit: maximi Reges, ac Principes ſummopere admi-

admirati ſunt, quantoque vis pretio comparatas in deliciis habuere. Harum viſendarum ſtudio quum viri nobiles mirifice flagrarent, longa ac perdifficilia itinera ſuſcipere non dubitarunt, quod ſaepenumero hiſtoriarum monimenta teſtantur: noſque ipſi hac praeſertim tempeſtate teſtari poſſumus, qui regium MEDICEVM THESAVRVM undique ab exteris hominibus, egregiis vetuſtorum Signorum aeſtimatoribus, quotidie perluſtrari, ac per complures dies, interdum etiam menſes frequentari non ſine magna animi iucunditate videmus. Haec artis miracula ſupra reliquos mortales Romani rerum domini, clariſſimi Imperatores, ac Caeſares omnibus divitiis, triumphis, opimiſque devictarum gentium ſpoliis praetulerunt; nec ſine earum pompa ante currus delata triumphare interdum voluere: his templa Deorum, Capitolium, fora, baſilicas, curias, porticus, theatra, amphitheatra, thermas, gymnaſia, muſea, bibliothecas ceteraque publica ac privata loca exornarunt: nam ſine STATVARVM SIGNORVMQVE ſplendore ac maieſtate quum vel minimam, vel paene nullam eſſe ducerent AETERNAE VRBIS omnium reginae magnificentiam, ac veluti corpus ſine anima, tot intra moenia numerari voluerunt quot capita civium, quemadmodum ſcriptores nobiliſſimi memoriae prodiderunt. Nemo eſt paullo humanior, atque a Muſis adeo alienus, qui haec opera laudatiſſima veterum STATVARIORVM ſedulo conſiderans non obſtupeſcat, ſummaque voluptate non perfundatur; ac Graeciam ipſam Romamque antiquam animo non concipiat, ac veluti praeſentem contemplari ſibi videatur, quoties audit Polycleti, Phidiae, Praxitelis, Scopae, Lyſippi, Cephiſſodori, Bryaxidis, Myronis ceterorumque clariſſimorum Artificum immortalia nomina, ipſiſque non plaudat dum eorum opera abſolutiſſima, plurimorum annorum labore ac ſtudio perfecta, diligentiſſime obſervat, atque admiratur.

Peropportunam heic nactus occaſionem, ſtilo paullo liberiore,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0007
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

re facile aliquid praenotare poſſem de antiquarum STATVARVM origine, dedicatione, uſu, praeſtantia, opificio, raritate; ac nonnulla etiam delibare de STATVARIORVM nomine, ac titulis SIGNORVM, quibus inſcribi, deque ceteris ornamentis quibus nobilitari ſolebant: verum quum haec omnia ſatis illuſtrata fuerint a viris doctis, praeſertim vero a Franciſco Iunio, atque ab Emundo Figrelio, cum primis quoque ab antiquis Scriptoribus praecellentiſſimis Plinio, Pauſania, Philoſtrato, Callimacho, atque ab eximiis Graecis Poëtis, quorum lectiſſima epigrammata paſſim adferuntur in Anthologiae libris, ſatius haec praetermittere, quam in ipſo operis limine BENEVOLVM HVMANVMQVE LECTOREM ad ipſa probatiſſima SIGNA obſervanda oppido properantem, inanibus verbis morari viſum eſt; idque unum nobis ſufficit ea ab interitu atque ab oblivione futurorum ſaeculorum vindicaſſe, atque ob oculos non hominum doctorum ſolum, verum etiam Pictorum ac Statuariorum propoſuiſſe.

Vt igitur ea tantum, quae ad rem noſtram faciunt, breviter praemittam, STATVAE cum Deorum Heroumque, tum Virorum ac Feminarum illuſtrium, quae in hoc Volumine in lucem mittuntur, ſunt LXXII. quae omnes exſtant in ſplendidiſſimo ac vere regio THESAVRO MEDICEO Magni Ducis Etruriae IOANNIS GASTONIS Principis Optimi, ac Clementiſſimi. STATVAE, quae incredibili elegantia, pulchritudine, atque opificio ceteris antecellunt, triplici vel etiam quadruplici proſpectu interdum inciſae ſunt, quibus Tabulae omnino centum occupantur. E marmore conſtant omnes, ſi tres tantum excipias, quae aheneae ſunt, mira profecto arte abſolutae, quae in Tabulis VII. XLV. XLVI. LXXXI. exhibentur; quarum princeps eſt MINERVA CALLIMORPHOS, altera PRAESTES DEVS ἄγνωστος, altera vero HARVSPEX ETRVSCVS ab Etruſco artifice praeſtantiſſimo ex aere ducta; quae addita eſt ne laudata Graecia, Etruria quoque noſtra, quae in omnibus elegantiſſimis

ar-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0008
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

artibus, ac ſtudiis ſummopere excelluit (quod in meo opere Etruſcarum Antiquitatum, quas nuper collegi, & quamprimum iuvante Deo publici iuris faciam, luculenter oſtendam) ſua laude privetur. Chimaeram ex aere Arretii defoſſam, quae exſtat in eodem Cimeliarchio, quaeque, ut plures volunt, Etruſcis litteris expreſſum habet artificis nomen, non exhibemus, utpote ſatis accurate editam in Opere Dempſteriano Tabula XXII. cum qua etiam antiquitus coniunctum fuiſſe Bellorophontis Signum facile crediderim, ut nuper in familiari eruditoque colloquio me monebat Vir doctiſſimus ac celeberrimus Martinus Folkes Armiger Anglo-Britannus, Regalis Societatis Londinenſis Vice-Praeſes: nam eadem Chimaera pluribus vulneribus ſanguine manantibus ſaucia eſt, atque ore immaniter hianti fremit, ſuumque interfectorem Bellerophontem inſectari videtur.

STATVAS omnes in hunc ordinem, a nemine antea ſervatum, digeſſit Vir Clariſſimus Sebaſtianus Blanchius, regiae Mediceae Gazae Praefectus, qui tum de re litteraria, tum de ſplendore, accuratiſſimaque ſerie, qua univerſae Mediceae ſupellectilis divitias paene innumerabiles inſtruxit, optime meritus eſt. Has omnes STATVAS MEDICEAS ex archetypis magno ſtudio, diligentia, & cura delineavit eximius Pictor huius FLORENTINAE SOCIETATIS Ioannes Dominicus Campiglia; qui etiam ut plura in iiſdem obſervarem, quae notatu digna ſunt, magno mihi adiumento fuit. Chalcographi hac noſtra aetate peritiſſimi cum exteri, tum noſtrates egregiam in iiſdem STATVIS aeri incidendis operam praeſtitere: nam inter eos ſuborta aemulatione, quid certatim conati ſint, periti artis iudicabunt; eorum nomina in ſingulis Tabulis ſubiecta leguntur. Vtinam ego quoque parem in hoc opere laudis, & diligentiae ſymbolam conferre potuiſſem! Maiori eruditionis fruge adornare potuiſſem has meas qualeſcumque obſervationes, ſi maiori otio frui potuiſſem, nec talia tam praecoci ac tumultuario opere meditari

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0009
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tari conſtituto annuo penſo debuiſſem. Sed, ut ſperare libet, viri docti aequi bonique mihi conſulent.

Mirabitur nunc forte aliquis, quod in hoc Volumine non compareat marmorea Herculis Statua, Lyſippi, cuius nomen in ea inciſum eſt Graecis litteris vetuſtiſſimis, rariſſimum atque abſolutiſſimum opus; quod Romae defoſſum, ut memorat Flaminius Vacca adlatus a Praeſtantiſſimo Viro D. Bernardo Montfauconio in Diario Italico Capite XIII. pag. 180. coëmit Magnus Dux Etruriae COSMVS, ſolutiſque octingentis argenteis ſcutatis Florentiam advehi iuſſit; quod propter coloſſeam procerita-tem poſitum eſt in regio Mediceorum Principum Palatio, quod olim fuit Pittiae gentis; quo in loco nunc quoque non ſine ſumma admiratione conſpicitur: ſed ſciant omnes, nos ea tantum SIGNA in hoc Volumine in lucem proferre voluiſſe, quae in Xyſtis, atque in interiori Conclavi MEDICEI THESAVRI hodie adſervantur ſpectanturque. Dabimus, favente Deo, in alio Volumine ipſum Herculem Lyſippi, itemque reliquas STATVAS antiqui operis inſignes, quae tum Romae exſtant in Palatiis atque in Hortis Mediceis, tum etiam Florentiae vel in publicis locis, vel in Optimatum aedibus adſervantur; ac praeter has illas quoque recentis operis excellentiſſimorum Sculptorum, quae huius Vrbis ſplendidiſſima decora, atque eximia ornamenta cenſentur quae iuſtum volumen centum Tabulis conficient.

Quae ad hunc librum pertinent, pauca haec dixiſiſſe ſatis ſuperque ſit. De inſignioribus STATVIS MEDICEIS libet nonnulla nunc, ut res poſtulat, praenotare, nimirum quando, & a quo comparatae fuerint, ubi inventae, & qua tempeſtate Roma Florentiam translatae fuerint cura & ſtudio celſiſſimorum Principum auguſtae Domus Mediceae: quae quidem vel praetermiſi, vel non ita perſpicue adnotavi in meis Obſervationibus, ut hoc in loco operis illuſtriore adnecterem, ſervato ordine Tabularum in quibus exhibentur. Igitur ab illis ſex STATVIS, totidem, ut

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0010
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

ita dicam, artis miraculis, quae in regio ornatiſſimoque Conclavi MEDICEI CIMELIARCHII, vulgo *Tribuna*, honoris dignitatiſque cauſa collocatae ſunt, exordium ſumam.

TABVLA XXVI. XXVII. XXVIII. & XXVIIII. principem locum merito ſibi vindicat VENVS ANADYOMENE, cognomento MEDICEA, quatuor proſpectibus expreſſa; quo Signo nulla vetuſtatis iniuria victo, uti omnes periti fatentur, nihil pulchrius, nihil abſolutius, nihilque admirabilius toto orbe exſtat. Huius elegantiſſimi operis aliqui auctorem faciunt Phidiam, aliqui Praxitelem, vel, ut ego arbitror, potius Scopam; cuius Venus nuda iuxta Circum Flaminium collocata, Praxitelicam illam longe ſuperavit, ut auctor eſt Plinius. Fama eſt, ſed incerta, inventam fuiſſe Romae in Hortis Neronianis. Hanc ingenti pretio coëmit FERDINANDVS I. Magnus Dux Etruriae, Medicei Theſauri conquiſitor, & amplificator maximus, dum adhuc in Purpuratorum Patrum Senatu cenſeretur. Diu ſpectata eſt Romae, & in Mediceis Aedibus adſervata; tandem regnante COSMO III., eodemque rogante, permiſſu INNOCENTI XI. anno MDCLXXVII. Florentiam aſportata eſt, & in regio Theſauro Mediceo condita. Altitudo eius poſt humeros accepta, quaſi recta ſtaret, aequat Graecos ped. v. cum dimidio, ſive ut notiorem menſuram adferam, Romanos palmos fere VII. cum dimid.

TABVLA XXX. conſpicienda eſt VENVS CAELESTIS, iuxta Venerem *Mediceam* in eodem Conclavi poſita, quam omnes periti artis, curioſique ſpectatores merita laude, atque admiratione proſequuntur. Pereximium hoc Signum olim Bononiae viſebatur; quod ſtatim ac vidit ſibi comparavit Sereniſſimus Princeps LEOPOLDVS Medices Cardinalis, veterum elegantiarum arbiter, atque aeſtimator eximius. Brachiis antiqui operis deſtitutum erat, eorum loco aliis repoſitis ab egregio Sculptore, & Architecto Bononienſi Alexandro Algardio; quae quum mira arte refecta eſſent, ac nulla prorſus in re vel minima ab

anti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0011
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

antiquis diverſa , noluit dimoveri Princeps ſtudioſiſſimus , licet paullo poſt vetuſta brachia forte fortuna inventa fuiſſent , eidemque oblata , quae nunc in regia Gaza Medicea ſervantur , facileque a quovis videri poſſunt .

TABVLA XXXI. exhibetur Simulacrum VENERIS VICTRICIS ſtupendo opificio , ea praeſertim in parte , quae antiqua eſt, abſolutum; qua propter creditum Phidiae opus , uti Paullus Alexander Maffeius Eques teſtatur in ſuis Obſervationibus ad antiquas Statuas a Dominico Roſſio Romae editas Tab. XXVII. Ferunt olim Romae adſervatum fuiſſe in loco qui vulgo dicitur *Belvedere ;* illudque ipſum eſſe quod zelo ſuccenſi Summi Pontifices in Tiberim proiici iuſſerunt . Eiuſdem Simulacri ectypum pectore tenus e gypſo confectum , quod forte iamdiu factum fuerat , ſibi conquiſivit Hercules Ferrata Mediolanenſis Sculptor celeberrimus , qui Florentiam accerſitus a COSMO III. Magno Duce , ut eximia quaedam Signa ſui Cimeliarchii inſtauraret , dum ſedulo complures antiqui aevi reliquias quodam die obſervaret , contigit forte fortuna ut oculos in quoddam inſigne fragmentum coniiceret , quod abiectum a nemine conſiderabatur ; quod archetypum quum ſtatim cum ectypo ſuo perbelle congruere animadvertiſſet , re nuntiata Magno Duci , iuſſum ab eo eſt ut actutum gypſeum illud ectypum , quod habebat , Florentiam adduceret ; quo adducto quum probe conſtaſſet illud ipſum eſſe quod iam antea ex hoc ipſo Simulacri fragmento formatum fuerat , ad eius exemplum inſtaurari imperatum eſt ; quare adiecto ei capite , cruribus , & brachiis , Hercules Ferrata aeterna laude dignus in eam pulchritudinem & decus mira ſolertia , miroque opificio conſurgere fecit , quale hodie non ſine voluptate admiramur; additoque pomo in eius dextera VENEREM VICTRICEM repraeſentavit .

TABVLA LVIII. & LVIIII. duplici proſpectu proponitur FAVNVS Orgia Liberi Patris celebrans crupetiorum tinni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0012
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tu , ſcabillorum crepitu , & ſaltatione , non ſine voluptate atque admiratione conſpiciendus . Graeci Statuarii opus abſolutiſſimum cenſent omnes . Romae erutum fuiſſe facile credi poteſt ; quo vero in loco , haudquaquam conſtat : nam inter antiqua monumenta Mediceae ſupellectilis ab immemorabili fere tempore exſtare Blanchius adfirmat : quare facile argui poteſt olim comparatum fuiſſe a Magnifico Laurentio Medice priſcarum elegantiarum ſtudioſiſſimo ; quo auſpice eius temporis viri docti antiquitatis ſtudia non apud nos tantum , verum etiam per omnem Italiam colenda plurimum atque in pretio habenda eſſe ſcriptis ſuis docuerunt ; e quorum numero duo illa praeclariſſima lumina Politianus , & Poggius ſilentio neutiquam praeteriri poſſunt , qui profecto reliquiarum vetuſti aevi conquiſitores , & vindices eximii fuere . Nihil dicam de Politiano ; nam eius opera eruditorum manibus quotidie verſantur ; quaeque magna ex parte aucta , ut ipſe ſemper deſideravi , atque identidem amicis propoſui, quamprimum e praelis regiae huius Typographiae prodibunt . De Poggio viro longe doctiſſimo , cui tantum debet litteratorum reſpublica , illud adnectam non raro in ſuis epiſtolis ad hoc tempus ineditis , quas olim legi in codice emaculatiſſimo , laudare ac deſcribere inſignia vetuſtatis monumenta , ſtatuas , capita illuſtrium virorum , numiſmata , inſcriptos lapides , quae ſibi comparaverat , atque in ſuo Muſarum ſacrario repoſuerat . Poggii epiſtolas omnes ex eodem inſigni codice olim diligentiſſime exſcripſit Vir clariſſimus , atque eruditiſſimus Antonius Maria Biſcionius amicus meus optimus , quas communicavit cum Franciſco Hyacintho De Lan Doctore , & Profeſſore primario Sorbonico , qui omnium operum Poggii editionem in ſe recepit , quam ut actutum praeſtet rogamus , ac vehementer optamus omnes .

TABVLA LXXIII. & LXXIIII. duobus item proſpectibus exhibetur PANCRATIASTARVM , ſive ut aiunt , *Luctatorum* Symplegma nobiliſſimum , ac vere admirandum ; quod Romae

eru-

erutum ſua tempeſtate narrat Flaminius Vacca non longe a Porta olim a Caelio monte Caelimontana dicta, hodie vero S. Ioannis, extra tamen Vrbem: quo itidem in loco, ut idem Vacca memorat, repertae ſunt complures Statuae inſignis operis, quae Niobes fabulam repraeſentant, quae hodie ſpectantur Romae in Hortis Mediceis. Hoc opus immenſi laboris & artificii Myroni adſcribunt aliqui, auctoritate Plinii moti, qui Myronis laudat *Pancratiaſtas*. Has quoque omnes Statuas coëmit aeterna laude digniſſimus FERDINANDVS I. Etruriae Magnus Dux. Diu Romae ſpectatum eſt in Mediceis Aedibus hoc Symplegma celeberrimum: demum anno CIↃ. IↃ. CLXXVII. Florentiam translatum una cum Simulacro *Veneris Mediceae*, atque *Exploratoris*, de quo nunc dicendum ſupereſt.

TABVLA XCVI. & XCVII. duplici pariter proſpectu obſervandam praebet Statuam perinſignem e Pario marmore caelatam, quam nos EXPLORATOREM diximus, vulgus vero adpellat *l' Arrotino*, quod altero genu incumbens ferrum in cote exacuat. Attium Navium inclytum Augurem, qui, ut Livius narrat, coram Tarquinio Rege augurum artem deludente, novacula cotem diſcidit, referre aliqui arbitrantur. Facilius crediderim referre MILICHIVM libertum, cui Flavius Scevinus Piſonianae coniurationis adverſus Neronem Caeſarem praecipuus auctor, pridie inſidiarum pugionem dedit vetuſtate obtuſum, quem ſaxo aſperaret, & in mucronem ardeſcere faceret, de quo infra paullo fuſius dicam. Romae inventam fuiſſe hanc Statuam certum eſt, locus vero incompertus. Hanc Nicolaus Guiſa Romanus civis comparavit, ſuiſque in aedibus, quas poſtmodum incoluit Dux Melphitanus, collocavit, ibique diu ſpectata eſt, ut colligo ex deſcriptione Statuarum antiquarum, quae Romae exſtant, vernaculo ſermone edita ab Vlyſſe Aldrovando, qui liber obvius eſt, & non ſemel typis excuſus. Hanc Statuam, ut idem ait auctor, Romanorum vulgus adpellavit

l' Aguz-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0014
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

l' Aguzza cultelli. Hanc quoque ingenti pretio redemit, atque in regio conclavi Mediceo collocari iussit idem celsissimus Princeps FERDINANDVS.

His breviter expositis ad alias ANTIQVAS STATVAS exquisitissimi operis, quae in Mediceis Xystis visuntur, gradum facio: neque vero de omnibus dicam, sed de his tantum quae vel artificio praecellunt, vel de earum inventione locoque ubi antea vel inventae, vel sitae fuere, mihi constat. Spectandus est APOLLO CAELISPEX relatus in Tabula VIII. & VIIII. (procedam servato Tabularum ordine) quem antiquo cognomine ita appellavi, quod caelum suspiciat. De eximia corporis pulchritudine, absolutissimique opificii nitore, atque dignitate heic nihil dicam. Exstabat olim rarissimum hoc Simulacrum, proceritate sua fere colosseum, Florentiae in Hortis Mediceis, qui vulgo *Boboli* nuncupantur; qui spatio fere ter mille passuum in postica parte ambiunt Palatinas Aedes Magni Ducis Etruriae. Ex his Hortis translatum est in Mediceum Cimeliarchium una cum compluribus aliis Statuis elegantissimis, quae caeli temporumque iniuriis expositae iam iam perituraе erant; curante hanc translationem laudatissimo viro Sebastiano Blanchio, & Ioanne Baptista Fogginio publicorum operum regio Praefecto, eximio Sculptore, & Architecto Florentino. Vtinam nulli hominum tum antiquorum, tum recentium in mentem umquam veniisset Statuis exornare Hortos! Hinc enim excidium, fatum, ac pessimam non solum mutilationem, verum etiam ruinam tot insignium Statuarum operumque clarissimorum Graecorum Artificum prorsus irreparabilem non doleremus: quae quidem si sub dio expositae non fuissent immoderato luxu, atque ambitione, melius iisdem consultum esset, & refertiora videremus Principum Musea, magisque illustrem, ac divitem Antiquitatis Historiam haberemus. Memorant in iisdem Hortis periisse Statuam omnium praestantissimam MINERVAE BELLATRICIS,

quae

quae ſiniſtra inſertum ſcutum tenebat admirando opere anaglyptico caelatum, in quo Lapitharum pugna expreſſa erat; cuius fragmenta etiam num ſuperſunt in operum armamentario. Sunt aliqui, qui credunt, quod haec inſignis Statua APOLLINIS CAELISPICIS ea ſit, de qua meminit P. Victor, quam Romae in Regione XI. fuiſſe ſcribit.

TABVLA XXXVII. Statua MARTIS PROPVGNATORIS profertur, quae olim exſtabat in regio Palatio, quod *de' Pitti* appellatur: opus ſane eximium, ac ſingulare, ex baſalte peregrino marmore a Statuario praeſtantiſſimo exſciſa.

TABVLA XXXVIII. & XXXVIIII. exhibet MERCVRII Simulacrum adeo nobile, tantaque arte perfectum ut in regio Conclavi cum ceteris lectiſſimis Signis merito collocari poſſit. Idem adfirmo de praecellentiſſimo illo AMORIS & PSYCHES Symplegmate, quod periti omnes centies licet obſervent, vix tamen oculis ſuis facere ſatis poſſe uno ore adfirmant. Ex archetypo egregie expreſſum oſtendit Tabula XLIII. & XLIIII. Incompertus eſt locus ubi olim erutum adſervatumque fuerit.

TABVLA XL. & XLI. adfertur HERMAPHRODITVS e Pario marmore ſculptus, omnium quotquot exſtant pulcherrimus, atque abſolutiſſimus, nulla vetuſtatis iniuria victus; omnes veneres, omniumque miraculorum artis compendium complectens. Fuit olim Romae in Aedibus Ludoviſiorum, quod perſpicue oſtendunt inſignia eiuſdem nobiliſſimae gentis, quae in lignea baſi eidem marmori ſubiecta etiam num conſpiciuntur. Polyclis opus facile credi poteſt; a quo *Hermaphroditum nobilem* confectum memorat Plinius.

TABVLA XLV. & XLVI. non ſemel ſpectandum eſt PRAESTITIS DEI aheneum Signum, elegantiſſimae baſi impoſitum, quod periti omnes ſummopere celebrant, atque admirandum abſolutiſſimae artis canona appellant. Olim exſtabat in Muſeo Franciſci Mariae Vrbinatium Ducis: inde cum baſi,

quam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0016
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

quam titulo, inferius proferendo, inſcripſit doctiſſimus Petrus Bembus, translatum eſt in Mediceum Theſaurum.

TABVLA XLVIII. obſervandus eſt BACCHVS cum FAVNO ſculptus a Statuario doctiſsimo, qui mutuis amplexibus ſe ſe conſtringunt. Pereximium hoc Symplegma illud eſſe mihi videtur, quod accurate deſcribit Vlyſſes Aldrovandus, quodque ſua tempeſtate exſtaſſe ait Romae apud Petrum de Radicibus in Burgo; quod etiam cum pluribus aliis ſignis antiquis erutum memorat in vinea eiuſdem Petri prope Portam maiorem.

Inter has ANTIQVAS STATVAS duas tantum recentis artificii, quas cum vetuſtis merito comparare poſſumus, adiicere non abs re viſum eſt. Altera eſt BACCHI cum SATYRISCO, quam propter eximiam operis elegantiam exquiſitumque artificium tribus Tabulis LI. LII. & LIII. vario proſpectu conſpiciendam exhibemus. Divina MICHAELIS ANGELI BONARROTI arte Romae confectum, omniumque peritiſſimorum hominum admiratione abſolutum eſt hoc opus praecellentiſſimum, & quod maxime notandum, ut narrat Georgius Vaſarius in eius vita, anno aetatis eius decimoctavo: in quo nihil eſt quod deſideres; omnia continet artis prodigia ſummis laudibus celebranda, miram praeſertim membrorum, qualia Bacchum decent, tum maris tum feminae commixtionem, iuvenilem nimirum corporis habilitatem proceritatemque, femineae vero carnis ſuccum, & artuum rotunditatem; quo ſtupendo opere quantum ingenio & arte ſupra ceteros emineret clariſsime oſtendit. Perfecit hoc nobiliſsimum Symplegma, altitudinis decem palmorum, rogatu Iacobi Gallii Patricii Romani, viri egregii iudicii, artiſque ſuae aeſtimatoris optimi, cui poſtea dedit; adiecitque Signum Cupidinis marmorei, multo antea confectum, ut colligi poteſt ex eodem Vaſario; quae in Gallii aedibus ſpectata ſunt uſque ad annum CIↃ. IↃ. CLXII. & paullo etiam ultra: nam eodem anno hacc Signa deſcribuntur ab Vlyſſe Aldrovando, & apud Iacobum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0017
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

bum Gallium adſervari dicuntur . Haec eadem Signa ſui iuris fecit Ferdinandus I. Magnus Dux Etruriae , ſumma cum laude ſemper celebrandus . De Cupidinis Signo elegantiſſimo , deque aliis Statuis , quibus veterum Sculptorum gloriam aemulatus eſt Bonarrotius , quaſque deſcribit Vaſarius , nihil opus eſt ut hoc loci dicam .

Altera Statua , ſive marmoreum Symplegma , exhibens , ut in Tabula LIIII. BACCHVM cum SATYRISCO , novi quidem artificii , ſed plane inſignis , atque admirandi , ut paullo ante dicebam , confectum eſt a praeſtantiſſimo Statuario , & Architecto Iacobo Tattio , qui SANSOVINVS appellatus eſt . Hoc quoque opus inter antiqua Signa adparere voluimus , quod maximo ſtudio , ac labore perfectum ſit ; nam & ipſum cum veritate naturae mirum in modum certare videtur . Fuſius deſcribitur a Vaſario in eius vita ; qui tantum ſtudii laboriſque in eo perficiendo impendiſſe Sanſovinum tradit , ut in ipſa hieme pro exemplari per multas horas nudum tenere non dubitaverit Philippum Fabri diſcipulum ſuum , qui paullo poſt mortuus eſt. Nihil heic dicam de admirabili totius corporis habitudine , nihil de inſigni membrorum conſenſione , nihil de motu ipſo quo Liber Pater iam iam ebrius bacchari , & hac illac ferri non ſine magna quadam voluptate conſpicitur . Admiratione digna eſt brachiorum venuſta connexio , alteriuſque brachii in aëra elatio , ac vibratio , quo ciathum tenet ; qui geſtus quum ſumma felicitate abſolutus ſit , inter artis miracula facile enumerari poteſt. Hoc opus inchoavit abſolvitque eximio ingenii manuſque ardore ut ornamento eſſet Hortis , quos Florentiae intra pomaerium in Valle profunda olim habuit Ioannes Bartholinius Patricius Florentinus ; (nunc vero iuris ſunt Marchionum Riccardiorum) quod poſtmodum in eius impluvio diu ſpectatum laudatumque eſt : demum eodem Ioanne vita functo a Gerardo eius fratre donatum fuit Coſmo I. Magno Duci ; ac poſtmodum ex eius Aedibus in regiam Gazam translatum .

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0018
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Tabula LXVIIII. nunc primum in lucem exhibet APRVM, ut arbitror, CALYDONIVM, quem Melager Heros in venatione occidit. Nemo ſperet vel cogitatione conſequi, vel verbis facile exprimere poſſe immenſum opificium, infinitum ſtudium, artiſque conatus omnes quos continet, quibus per omne aevum immortalem gloriam conſecutus eſt Graecus Statuarius doctiſſimus omniſque laboris patientiſſimus. Fulminei dentes in ore hianti ardeſcunt; horrent ſetae tanto artis miraculo, ut verae potius quam fictae videantur. Dixi ſaepius, nunc etiam ſolemnius dicam, praecellentium STATVARVM operumque ſummorum Artificum Graecorum dignitatem non ex delineationibus inciſiſve tabulis, ſed ex ipſis archetypis Signis, ac Simulacris probe perſpectis obſervatiſque in ſingulis partibus petendam, atque aeſtimandam eſſe. De hoc inſigniſſimo opere, quum inferius paullo fuſius dixerim, hoc loci nihil aliud adiiciam. Nullus dubito hunc eſſe Aprum illum, quem deſcribit Aldrovandus; quique ait ſua tempeſtate Romae exſtaſſe in aedibus Paulli Pontii, pro quo oblatum pretium quingentorum aureorum eum ſaepius reieciſſe adfirmat. Eo tandem potitus eſt nullis parcens ſumtibus, promiſſis, ac largitionibus FERDINANDVS I. Magnus Etruſcorum Dux, dum adhuc, ut diximus, inter Purpuratos Romanae Eccleſiae Proceres cenſeretur. Huius operis inenarrabile decus, & artificium admiratus FERDINANDVS II. qui ei in imperio ſucceſſit, ex eodem marmoreo archetypo alium Aprum, cura agente Petro Tacca Sculptore egregio, ex aere conflari iuſſit, ut perenne eſſet tum Vrbis, tum Porticus in Foro novo magnificentiſſime exſtructae ornamentum, ut infra plenius dicemus.

Prolatum Symplegma TABVLA XXV. illuſtratumque inferius pag. 42. & 43. exhibet VENEREM, quae MARTEM illecebris detinet, ac demulcet. Veneris dextrum brachium armilla ornatur. Putant aliqui effigie Veneris expreſſam Fauſtinam Auguſtam, famoſum vero Gladiatorem eius amaſium ſpecie

Mar-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0019
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Martis; ſed nullum eſt huic coniecturae fundamentum: nam elegantiſſimum operis artificium non M. Aurelii Caeſaris aetatem, ſed multo ſuperiorem redolet peritiſſimorum hominum iudicio; quorum rationibus acquieſcens, ea lubenti animo retracto quae inferius ſcripſi. Neque etiam eorumdem numinum effigies referre poſſe adfirmo Fauſtinam ſub imagine Veneris, ſub altera vero Martis M. Aurelium; ſed arbitror ipſiſſimam VENEREM effictam, quae illecebris, & blanditiis MARTEM devincit, atque ad bella fortaſſe euntem moratur, quemadmodum expreſſam vidimus in Gemma pulcherrima Mediceae Gazae, quam adtulimus atque illuſtravimus in Volumine I. Muſei Florentini Tab. LXXIII. n. VIII. pag. 150.

ATHLETAE VICTORIS Signum, quod manibus vaſculum praefert, relatum in Tabula LXXV. fuit olim in ſuperiori atrio regii Palatii, quod a Pittiorum gente, quae olim illud aedificavit, & incoluit, adhuc nomen retinet. Georgius Vaſarius idem deſcribit in principio Tertii Voluminis Vitarum Pictorum, & Sculptorum in indiculo quodam; aitque unum ex illis Signis fuiſſe quae in aediculis in eodem atrio viſebantur. Fuit etiam ibidem *Ganymedes*, *Venus in balneo*, *Baccha cum tigre*, *Aper Calydonius*, *Bacchus cum Fauno*, *Pomona* aliaeque Statuae numero duodecim, quae poſtmodum in regium Mediceum Theſaurum migrarunt, e quibus inſigniores in hoc Volumine exhibentur, & illuſtrantur. Statua MILITIS VELITIS expreſſa in Tabula LXXVII. & altera MILITIS FVNDITORIS relata in Tabula LXXVIII. ex Hortis Mediceis, qui Florentiae ſunt, & *Boboli* vulgo dicuntur, in regium Cimeliarchium Mediceum aſportatae fuere. Nonnullae etiam, quae olim ornabant Hortos regiae Villae Mediceorum Principum, quae *Pratolinum* audit, in idem antiquitatis ſacrarium tranſlatae iuſſu nobiliſſimi Principis optimarum artium fautoris eximii FERDINANDI Magni Principis Etruriae, fratris IOANNIS GASTONIS Magni Ducis feliciter imperantis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0020
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCII. exhibet Signum elegantiſſimum, altitudine fere tripedaneum, ex Aegyptio, vel Aethiopico marmore, baſalti ſimillimo, exſciſum, quod CLAVDIVM BRITANNICVM CAESAREM refert ſententia praeclariſſimi antiquarii Leonardi Auguſtinii, qui id primus omnium in lucem edidit inter antiquas Gemmas TAB. CXVII. Caput quidem, ut dixi, inſertum eſt, ſed eiuſdem artificis opus cenſetur ex eodem peregrino marmore confectum.

Si decem STATVAS a Dominico Roſſio editas excipias, quas inferius indicamus, reliquae omnes, quae in hoc Volumine proferuntur, nunc primum in lucem prodeunt: quare hac etiam de cauſſa diligentiam noſtram ac ſtudium non improbandum eſſe ab Antiquitatis Cultoribus ſperamus; quorum Genium huic libro propitium, ac bene faventem optamus. *An ceteris artibus* (utar verbis C. Plinii Caecilii Secundi ex epiſtola XXIX. Lib. IX.) *excuſatio in numero, literis durior lex, in quibus difficilior effectus eſt? quid autem ego de venia quaſi ingratus? nam ſi ea facilitate proxima acceperis, qua priora, laus potius ſperanda, quam venia obſecranda eſt: mihi tamen venia ſufficit*. Vale humaniſſime Lector.

INDEX
STATVARVM
ANTIQVARVM
DEORVM ET VIRORVM ILLVSTRIVM
QUAE EXSTANT
IN
THESAVRO MEDICEO.

Numerus Romanus Praefationem ; Barbarus Obſervationes indicat.

TABVLA I.

IVPPITER. Pag. 3. 4.

TABVLA II.

IVNO REGINA. 4. 5.

TABVLA III. IIII.

LEDA. 5. 6.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0022
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA V.

GANYMEDES. 6. 7.

TABVLA VI.

MINERVA ERGANE. 7. 8.

TABVLA VII.

MINERVA CALLIMORPHOS EX AERE. VII. 8. 9.

TABVLA VIII. VIIII.

APOLLO CAELISPEX. XIV. 10. 11.

TABVLA X.

APOLLO INVICTVS. 12. 13.

TABVLA XI.

APOLLO INVENTOR MVSICAE. 13. 14. 15. 16.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0023
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XII.

APOLLO PYTHIVS. 18. 19.

TABVLA XIII.

MARSYAS. 19.

TABVLA XIIII. XV.

VRANIA. 20.

TABVLA XVI. XVII.

EVTERPE. 21. 22.

TABVLA XVIII.

CLIO. 22. 23.

TABVLA XVIIII.

DIANA VENATRIX. 23. 24.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0024
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XX.

SYMBOLICA DIANAE EPHESIAE STATVA. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

TABVLA XXI.

ENDYMION. 30. 31.

TABVLA XXII. XXIII.

AESCVLAPIVS. 31. 32. 33.

TABVLA XXIIII. XXV.

HYGIA. 33.

TAB. XXVI. XXVII. XXVIII. XXVIIII.

VENVS ANADYOMENE VVLGATO COGNOMINE MEDICEA. X. 34. 35. 36.

TABVLA XXX.

VENVS CAELESTIS. X. XI. 37.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0025
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXI.

VENVS VICTRIX. XI. 38.

TABVLA XXXII.

VENVS GENETRIX. 39.

TABVLA XXXIII.

VENVS SPINAM E PEDE EDVCENS. 40.

TABVLA XXXIIII.

VENVS AVREA. XIX. 41.

TABVLA XXXV.

VENVS AMPHITRITE. 42.

TABVLA XXXVI.

VENVS MARTEM VINCENS. XVIII. XIX. 42. 43.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0026
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXVII.

MARS PROPVGNATOR. XV. 44.

TABVLA XXXVIII. XXXVIIII.

MERCVRIVS. XV. 44. 45.

TABVLA XL. XLI.

HERMAPHRODITVS. XV. 45. 46.

TABVLA XLII.

AMOR SAGITTARIVS. 47. 48.

TABVLA XLIII. XLIIII.

AMOR ET PSYCHE. XV. 47. 48.

TABVLA XLV. XLVI.

DEI PRAESTITIS SIGNVM EX AERE. VII. XV. 49. 50. 51.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0027
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XLVII.

BACCHVS CVM AMPELO. 52. 53.

TABVLA XLVIII.

BACCHVS CVM FAVNO. XVI. XIX. 53.

TABVLA XLVIIII.

LIBER PATER SEDENS. 54.

TABVLA L.

BACCHVS LENAEVS. 54. 55.

TABVLA LI. LII. LIII.

BACCHVS CVM SATYRISCO MICHAELIS ANGELI BONARROTI OPVS. XVI. XVIII. 55. 56.

TABVLA LIIII.

BACCHVS CVM SATYRISCO SANSOVINI OPVS. XVII. 57.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0028
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LV.

BACCHA SIVE LENA. 58.

TABVLA LVI.

BACCHA SEV THYAS CVM TIGRE. XIX. 58. 59.

TABVLA LVII.

BACCHA SALTANS. 60.

TABVLA LXVIII. LXVIIII.

FAVNVS. XI. XII. 60. 61.

TABVLA LX.

SATYRVS VINO GRAVATVS. 62.

TABVLA LXI.

PANOS DEI HERMAEVM SIGNVM. 62. 63.

TA-

TABVLA LXII.

FLORA. 63. 64.

TABVLA LXIII.

POMONA. 65.

TABVLA LXIIII.

HERCVLES CENTAVRVM PROSTERNENS. 65. 66.

TABVLA LXV. LXVI.

HERCVLES LEONEM SVFFOCANS. 66. 67.

TABVLA LXVII. LXVIII.

HERCVLES POMA HESPERIDVM GERENS. 67. 68.

TABVLA LXVIIII.

APER CALYDONIVS MARMOREVS. 68. 69.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0030
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LXX.

VICTORIA. 69. 70. 71.

TABVLA LXXI.

NARCISSVS. 71.

TABVLA LXXII.

ATHLETA VICTOR. 72.

TABVLA LXXIII. LXXIIII.

PANCRATIASTAE. XII. XIII. 72. 73. 74.

TABVLA LXXV.

ATHLETA VICTOR VASCVLVM PRAEFERENS. XIX. 75. 76.

TABVLA LXXVI.

ATHLETA SIVE DISCOBOLOS VICTOR. 76. 77.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0031
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

TABVLA LXXVII.

MILES VELES. XIX. 77. 78.

TABVLA LXXVIII.

MILES FVNDITOR. XIX. 78.

TABVLA LXXVIIII.

TRANSVECTIO EQVITIS ROMANI. 78. 79. 80.

TABVLA LXXX.

REX PHRYGIVS. 80. 81.

TABVLA LXXXI.

HARVSPEX ETRVSCVS. VII. VIII. 81. 82. 83. 84. 85. 86.

TABVLA LXXXII.

L. CORNELIVS SVLLA DICTATOR. 86. 87.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0032
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LXXXIII. LXXXIIII.
LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.

VIRI CONSVLARES. 87. 88. 89.

TABVLA LXXXVIII. LXXXVIIII.

FEMINAE SEDENTES. 89. 90.

TABVLA XC.

MATRONA ROMANA. 91.

TABVLA XCI.

PVER NOBILIS CVM BVLLA. 92.

TABVLA XCII.

CLAVDIVS BRITANNICVS CAESAR. 93.

TABVLA XCIII.

FEMINA DETINENS IMPERATOREM. 93. 94.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0033
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCIIII.

M. AVRELIVS CAESAR. 94. 95.

TABVLA XCV. XCVI.

EXPLORATOR. XIII XIV. 95. 96.

TABVLA XCVII.

PHILOSOPHVS. 97.

TABVLA XCVIII.

VIRGO VESTALIS. 97. 98.

TABVLA XCIX.

SACERDOS. 99.

TABVLA C.

CAMILLVS. 100.

PRO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0034
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

PROSPECTVS ET ORDO

OMNIVM

QVAE HOC VOLVMEN COMPLECTITVR.

I. *Praefatio ad Lectorem* . Pag. v.

II. *Index Statuarum antiquarum Deorum & Virorum illuſtrium , quae exſtant in Theſauro Mediceo ; quaeque in adnotatis paginis Obſervationibus illuſtrantur* . Pag. XXI.

III. *Tabulae centum, in quibus eaedem Statuae exhibentur , hoc in loco poſt* Pag. XXXV. *inſerendae* .

IV. *Obſervationes in antiquas Statuas* .

V. *Index Rerum* Pag. 101.

ADDENDA & CASTIGANDA.

In Praef. pag. X. lin. 18. *lege :* INNOCENTII XI.
Ibidem pag. XVII. lin. 27. *lege :* intra pomerium .
Pag. 31. *linea* 1. *lege :* & mutationes mortalibus indicaſſe fabulantur .
Pag. 34. *in principio lege :* TABVLA XXVI. XXVII XXVIII. XXVIIII.
Ibidem lin. 27. *lege :* quadruplici vario proſpectu
Pag. 67. *lin.* 21. *lege :* expreſſus eſt in Tabula LXV. & LXVI.
Pag. 70. *lin.* 26. *lege :* Mantinenſes .
Pag. 88. *lin.* 3. *lege :* quae in Tabula LXXXIIII. & LXXXV.
Ibidem lin. 5. *lege :* In Tabula LXXXV. Auguſtum expreſſum agnoſco .

A D-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0035
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

ADPROBATIONES

HVIVS OPERIS.

IMPRIMATVR.

IOSEPH MARIA Archiepiſcopus Florentinus .

IMPRIMATVR.

Fr. PAVLVS ANTONIVS AMBROGI , Inquiſitor Generalis Florentiae .

CAROLVS GINORI Senat. , vidit pro R. C. Magni Ducis Etruriae .

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0036
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

II

Cio Dom. Campiglia del.

IVPPITER

Io. Batta. Iacobonus in.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0037

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

II

Gennaro Gutiérez Scul. IVNO Gio Dom. Camp. del.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0038
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Jean Dom. Campiglia del. LEDA C. Mogalli sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0039
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Jean Dom Campiglia del. LEDA Cosmus Mazelli Sculp.

Ioan Dom. Campiglia del. GANYMEDES Cosmus Mogalli Sculp.

Jo. Dom. Campiglia del. MINERVA ERGANE Car. Gregori sculp.

Io Dom. Campiglia del. MINERVA EXAERE Carol Gregory sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0043
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

VIIII



Io Dom. Campiglia del APOLLO *Carol. Gregori. sculp.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0044
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

IX.



Io. Dom. Campiglia del. APOLLO. Carol. Gregori. sculp.



Io. Dom. Campiglia del. APOLLO Io Batt. Iacobone f.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0046
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Io. Dom. Campiglia del. APOLLO Carol. Gregori faulp.



I. Don. Campiglia del. APOLLO C. Mogalli fculp.

XIII



Io. Dom. Campiglia del. MARSIAS Carol. Gregory sculp.

XIIII

Io. Dom. Campiglia del.

VRANIA

Io. Batta Jacobsen sc.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0050

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

XV

VRANIA

XVI

Fr. Dom. Campiglia del.

MVSA

Carol. Gregori fecit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0052

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

XVII

Mvsa

XVIIII

Io Dom. Campiglia del — MVSA — Cosmus Mogalli Sculp.

XIX



Cav. Dom. Campiglia del.

DIANA

Gennaro Gutthierez Sculp.

Gio Domenico Campiglia del. DIANA EPHESIA Vincenzo Franceschini Sc.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0056
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXII



I. Dom. Campiglia del.

Car. Gregori fculp.

ENDYMION

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0057

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

Io Dom Campiglia del *Carol Gregori sculp*

AESCVLAPIVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0058
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io. Dom. Campiglia. del. AESCVLAPIVS. Carol. Gregorj. sculp.

XXIV

D. Dom. Campiglia del. HYGIA Eximus Mogalli Sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0060
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXV

Dom. Campiglia del

HYGIA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0061

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

Fr. Dom. Campiglia del. VENVS Carol. Bart. Oregori fe.

Jo. Dom. Campiglia del. VENVS Carol. Gregori sculp.

XXVIII



Io Dom. Campiglia dal — Marco Pitteri sc. & p. Ven.

VENVS

XXIX



Io. Dom. Campiglia del. VENVS G. Mart. Preisler sc. Norib.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0065
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXX

Je. Dom. Campiglia del. VENVS CAELESTIS Cav: Ossolini Sculp.

XXXII



I. Dom. Campiglia delin. — Ge. M. Ant. Corsi Sculp.

VENVS VICTRIX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0067
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Ioan Dom. Campiglia del. VENVS GENETRIX Carolus Mogalli sculp.



Io: Dom. Campiglia del: VENVS Gio: Gir:mo Frezza scul:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0069
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXXIV

Gio: Dom.co Campiglia del VENVS *Gio: Gir.mo Frezza scul.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0070
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXXV



Io Dom Campiglia delin

VENVS

Fr M Ant Corsi sculp

XXXVI



Io Dom. Campiglia del. VENVS ET MARS Caroluf Gregorj fcalp.

XXXVII



Io Dom Campiglia del MARS *Carol Gregori Sculp*

XXXVIII



Io Dom. Campiglia del. MERCVRIVS Carol. Gregori sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0074
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XXXIX



Io Dom. Campiglia del. C. Gregori sculp. Florentiæ.

MERCVRIVS

XL

Le Dom. Campiglia del. HERMAPHRODITVS. Marco Pitteri sculp. Ven.

Io Dom. Campiglia del HERMAPHRODITVS Carol. Gregorj sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0077
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XLII



L. Dom. Campiglia del. AMOR S. Pomarede Sculp.

XLIII

Io Dom Campiglia del AMOR ET PSYCHE *Carol Gregori sculp*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0079
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XL IIII



Io. Dom. Campiglia del. AMOR ET PSYCHE Carol. Gregory Sculp.

XLV



Io. Dom. Campiglia. del.

DEI PRAESTITIS SIGNVM EX AERE

XLVI

DEI PRAESTITIS SIGNVM EX AERE

XLVII



Io Dom. Campiglia del. — J. M. Preisler fc. Norib.

BACCHVS CVM AMPELO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0083
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XLVIII



Io Dom. Campiglia del. Io Batta Iacobonus fc.

BACCHVS CVM FAVNO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0084
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XLVIIII



Io. Dom. Campiglia del. BACCHVS X. M. sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0085
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Tom. Dem. Campiglia del. Cosmus Mogalli fculp.

BACCHVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0086
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Io Dom Campiglia del *Carol Gregori scalp*

BACCHVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0087
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Jo. Dom. Campiglia delin. Mar. Pitteri fcul. Vene.

BACCHVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0088
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Le Dieu Campighes del. — Gio: M. C. fecit

BACCHVS

Io Dom Campiglia del. Marcus Pitteri sculp. Ven.

BACCHVS

Io. Dom. Campiglia del. BACCHA Io. Batta Iacobonus sc.

Le Dom. Campiglia del. — Massini sc.

BACCHA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0092
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io Dom. Campiglia del. Carol. Gregory sculp.

BACCHA

Io Dom. Campiglia del. Carol. Gregori sculp.

FAVNVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0094
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Lo Dom. Campiglia del

FAVNVS

Gabbuggiani fecit

LX

Io Dom. Campiglia del. Carol Gregory fcul.

SATYRVS

Io Dom Campiglia delin. M Antonius Corsi sculp

PAN

Io Dom Campiglia del *Hieron Rossi sculp Roma*

FLORA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0098
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io. Dom. Campiglia delin. POMONA Michael Sorelle Sculp.



Io. Dom. Campiglia del. HERCVLES CENTAVRVM PROSTERNENS Carol. Gregory sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0100
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

LXV



Io Dom. Campiglia del HERCVLES LEONEM SVFFOCANS *Carol. Gregory fculp.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0101

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

Io. Dom. Campiglia. del. Marco Pitteri. Sculp. Ven.

HERCVLIS CVM LEONE CONGRESSVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0102
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Io Dom. Campiglia del. HERCVLES Carol. Gregori sculp.



Io Dom Campigliadelin HERCVLES CVM POMIS HESPERIDVM M Antonio Corsi fulp



Io Dom Campiglia del et sc

APER CALYDONIVS

LXX

Le. Dom. Campiglia del

VICTORIA

Cosmus Megalli Sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0106

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

LXXII



Io Dom Campiglia del *Carol Gregori sculp*

NARCISSVS

LXXIII



Le Dom. Campiglia del.

Carol. Gregori sculp.

PARIS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0108

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG



PANCRATIASTAE

Io Dom Campiglia del

Io. Bapta Iacobonus sc

LXXIV



Io Dom. Campiglia del.

PANCRATIASTAE

Carol Gregory sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0110

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG



Io Dom Campiglia del ATHLETA VICTOR *Carol Gregori sculp*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0111
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG



Io: Dom. Campiglia del:

ATHLETA

Gio: Gir.mo Frezza scul:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0112
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Gio: Domco Campiglia del. MILES Gio: Girmo Frezza scul.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0113
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io Dom. Campiglia delin — MILES — Michael Sorello sculp

Io Dom. Campiglia del EQVITIS TRANSVECTIO & re M. Corsi sculp.



Io Dom Campiglia del REX PHRYGIVS *Carol Gregori sculp*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0116
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

LXXXI

Io Dom Campiglia del HARVSPICIS ETRVSCI SIGNVM EXAERE M Ant Corsi sculp

Io Dom. Campigliadel

Lapi sculp.

SILLA DICTATOR

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0118
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

LXXXIII

Io. Dom. Campiglia del. VIR CONSVLARIS Carol. Gregory sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0119
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io Dom Campiglia del, et sc

SCRINIARIVS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0120
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io Dom Campiglia del *Carol Gregori sculp*

VIR CONSVLARIS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0121
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Ioan Dom Campiglia del. VIR CONSVLARIS Carolus Mogalli Sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0122
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io. Dom. Campiglia del. VIR CONSVLARIS Genn. Gutierez Sculp.

MATRONA ROMANA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0124
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Io. Dom. Campiglia delin. MATRONA ROMANA *Michael Sorello Scul.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0125
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XC

MATRONA ROMANA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0126

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

XCI

Le Dom Campiglia del STATVA BVLLATA Carol Gregori sculp

XCIII

Io. Dom. Campiglia. del. BRITANNICVS P. Pomarede Sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0128
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XCIIII

Io Dom. Campiglia del CAIVS CAESAR C/M DRVSILLA SORORE *Carol Gregori sculp.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0129

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

XCIIII

Io Dom. Campiglia del. M·AVRELIVS CAESAR Carol Gregori sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0130
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XCV

Jo Dom: Campiglia del.

EXPLORATOR

Carol Gregory sculp.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0131

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

XCVII

Io. Dom. Campiglia del. EXPLORATOR *Carol. Gregory sc.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0132
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XCVIII

Le Dom. Campiglia del. PHILOSOPHVS Carol. Gregory fec.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0133
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XCVIIII

Io Dom. Campiglia del VIRGO VESTALIS *Carol Gregori sculp*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0134
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

XCIX

Io Dom Campiglia del

M Antonio Corsi sculp

SACERDOS

C

Io Dom. Campiglia del. CAMILLVS Gabbiani parm. fcul.

OBSERVATIONES

IN

STATVAS ANTIQVAS

DEORVM ET VIRORVM
ILLVSTRIVM

M V S E I

F L O R E N T I N I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0137

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0138

© Universitätsbibliothek Heidelberg

gefördert durch die
DFG

TABVLA I.

IVPPITER.

ILLVSTRATVRVS eximia veterum Sculptorum opera, STATVAS Deorum, ac praeſtantium Virorum, quas omnis aetas mirifice ſemper ſuſpexit, ab IOVE principium ſumo; quem ſtantem, vultu placido, ac ſereno, fortaſſe non diſſimilem Iovi Μειλιχίῳ *Manſueto*, cuius ſimulacrum e candido marmore Polycleti opus, Argis erectum deſcribit Pauſanias, (1) Statuarius haud ignobilis pereleganter effinxit. In antiquis ſculpturis frequentius exhibetur vel nudus, vel tunicatus; non raro etiam amictus chlamyde, vel palmata tunica, quem Imperatores in triumphis imitati ſunt; (2) interdum indutus pallio, quo velatis inferioribus corporis partibus, ſuperne nudus proponitur; quo cultu quid ſignificare voluerint priſcarum gentium Theologi, iam ſatis ſuperque vulgatum. (3) Quod vero heic notandum, Iuppiter, Philoſophorum, ac praeſertim Aeſculapii more, pallio e laevo humero pendente, & in varios ſinus perpulchre concinnato amictus cernitur; qui quidem operi tum venuſtatem, tum raritatem conciliat. Eodem modo palliatum Io-

(1) In Corinthiacis Cap. XX.
(2) Ex Servio ad Eclog. X. Virgilii v. 27. ex Iuvenale Satyr. X. v. 38.
(3) Vide apud Euſebium Lib. III. Cap. IX. de Praeparatione, & Georgium Codinum de Originibus Conſtantinopolitanae Vrbis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0139
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

vem expreſſere veteres Etruſci, ut videre eſt in patera, atque in vaſe elegantiſſimo Regii Muſei Medicei, editis in Dempſteriano Opere. (1) Apud Lucianum Philoſopho ſe per omnia adſimilaſſe legitur. (2) Caput eius non mitra, (3) ſed regio diademate revinctum eſt; quod poſticam eiuſdem Statuae obſervantibus perſpicue occurrit. Ad haec pedes nudi ſunt, nec calceis exornati, nec cothurnis, uti a Pauſania perſimilis Baccho idem deſcribitur. (4) Neque adſiſtit ad pedes avium princeps, atque armorum regia miniſtra Aquila; ſed omnino SERENVS. PLACIDVS, facilique maieſtate OBSEQVENS, quemadmodum inſcribitur in vetuſtis aris eidem dedicatis, (5) ab ingenioſo artifice ſculptus eſt. Dextera manu fulmen quidem gerit, ſed in regna infera demiſſum; neque in altum ſublatum, quaſi iam illud iaculaturus: demum ita expreſſus eſt perinde ac pacato orbe, caelo potitus, in ſua quiete, ac tranquillitate haud amplius thorace, ſeu lorica, neque aegide, neque ſcuto (6) neque falce adamantina, (7) aut fulmine indigeat ad Gigantes, & Titanas proſternendos, quibus armis terrorem in eos incuſſiſſe ferunt veteres Mythologi.

TABVLA II.

IVNO REGINA.

MAgna Deûm Mater IVNO, Iovis ſoror & coniux, in hunc maxime modum ſculpta in nummis in honorem Feminarum Auguſtarum percuſſis, dextera pateram, ſiniſtra manu ſceptrum, ſive haſtam praeferens, inſcribitur REGINA, vel etiam LVCINA; quae interdum quoque ſedens in ſolio pulcherrimo exhibetur. Eius ſimulacrum Romani in Aventino coluere; quod captis Veiis perlatum in Vrbem aeternam, in templo

(1) Tom. I. Tab. I. & Tab. XXX. & XXXII. pag. 78. & 166.
(2) In Icaromenippo; quem citat L. Begerus in Gemmas Theſauri Brandemburgici pag. 81.
(3) Vide Monumenta addita Inſcriptionibus Donianis, quae mea cura & labore nuper prodiere Tab. III. pag. XLII.
(4) In Arcadicis Cap. XXXI.
(5) In Gruteriano Theſauro XXIII. 1. LXXVII. 6. MIX. 9. In Miſcellaneis Sponii Sect. III. pag. 77. Apud Fabrettum. Inſcr. ant. Cap. VII. n. 116.
(6) Vide Clementem Alexandrinum Lib. II. Stromatum pag. mihi 413.
(7) Ex Apollodori Biblioth. Lib. I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0140
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

plo positum est, quod M. Furius Camillus Dictator voto suscepto ibidem dedicavit. (1) Pateram in manus Deorum dedere veteres, ut ostenderent eos libenter ab hominibus accipere sacras libationes, vel facile favere votis eorum, qui numen sibi propitium sacrificiis redderent. Non raro etiam vel ornatus causa, vel ut facilius Dii Deaeque a cultoribus placarentur, parva quaedam simulacra in dextera manu eorumdem ponebantur; vel etiam in solio, vel in capite eorum sculpebantur; quod iis, qui Pausaniam legerunt, haud incognitum est. Hunc morem notat Cicero in Verrem his verbis: *Insistebat in manu Cereris dextera simulacrum pulcherrime factum Victoriae*. De Dionysio Rege idem haec memorat: (2) *Idem Victoriolas aureas, & pateras, coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus tenebantur, sine dubitatione tollebat*. Hoc Iunonis Signum summo profecto ingenio sculptum est. Palla, qua Iuno duplici ordine elegantiae causa succincta est, itemque regia chlamys post humeros defluens, tanta venustate tantoque opificio ad veritatem naturae expressa est, ut Statuarius inter claros artifices sit recensendus.

TABVLA III. IIII.

LEDA.

LEDAM, seu NEMESIN, cuius fabula notissima est, (3) sinu suo foventem Iovem in Cycnum conversum, duo marmorea Signa exprimunt, quae e Thesauro Mediceo exhibemus. Primum Statuarii nobis incogniti nobile opus; alterum vero non satis elegans, ac perfectum censetur. Certarunt inter se artifices in eo maxime ut vario corporis statu Ledam referrent. Interdum sculpsere sedentem, frequentius recto statu, raro vero invectam Cycno, quasi inter sidera ab eo relatam; quod fecit Myrton celeberrimus gemmarum scalptor; cuius opus profert

V. C.

(1) Ex Livio Lib. V. Cap. XXII. & Lib. XXXVII.
(2) Lib. III. De Natura Deorum.
(3) Vide Hyginum Tab. LXXVII. & Lib. II. Poët. Astronom. & ceteros Mythologos.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0141
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

V. C. Philippus de Stoſch Tab. XLIII. deſcribitque appoſite hoc modo Manilius : (1)

Proxima ſors Cycni , quem caelo Iuppiter ipſe
Impoſuit formae pretium , quâ cepit amantem
Quum Deus in niveum deſcendit verſus Olorem ,
Tergaque fidenti ſubiecit plumea Ledae ;
Nunc quoque diductas volitat ſtellatus in alas .

Quandoque etiam Cycnus ſuper Ledam alas expandit ; qualem pingit Ovidius : (2)

Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis .

Ne qua vero in priori Ledae Signo deeſſet corpori gratia , atque operi decus , armilla dextrum eius brachium Sculptor ornavit ; veſtem vero reductam , & in ſinus varios pereleganter dependentem , egregio pariter opificio concinnavit .

TABVLA V.

GANYMEDES.

GANYMEDIS Statuam hanc elegantiſſimam , quam exhibemus , reſtituit Benvenutus Cellinius Sculptor Florentinus , operum fama maxime clarus . Aquilam ad pedes formoſiſſimi pueri adſtantem , certante cum natura ipſa artificio , ex integro idem effinxit . Baſem quoque ſummo ſtudio , & cura elaboratam abſolvit : in hoc vero peccavit , ſecutus ingenium ſuum , non vero monumentorum veterum exempla , quod aviculam , vel forte etiam aquilae pullum , pro ſcypho , quo ambroſiam Diis miniſtrare fingitur , in dexteram eius manum , quaſi puerilia crepundia , dedit . Ceterum ipſum pulcherrimi Iovis amaſii

(1) Lib. I. Aſtronom. v. 337.

(2) Metamorph. Lib. VI. Fab. II. v. 109.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0142
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

amaſii ſignum antiquum eſt, non ſine voluptate ſpectandum. Inter praeſtantiores Statuarios, qui Ganymedem effinxere, magnopere celebrantur Ariſtocles, & Leochares. (1)

TABVLA VI.

MINERVA ERGANE.

MArmoreum hoc ſimulacrum MINERVAE, diſciplinarum omnium atque artium praeſidis, ſpecie corporis ampla & magnifica, ſi quis per ſingulas partes, atque ad haec inſignia, quae praefert, contempletur, in ſagaci, ac docto artifice nec ſtudium, ut arbitror, nec diligentiam certe maximam deſiderabit: egregio enim hoc opere ſummos Statuarios, qui e Graecia feliciter prodiere, ſibi propoſuiſſe, atque aemulari voluiſſe perſpicuum eſt. Deae vultus ἀναίσχυντος, *numquam erubeſcens*, *aut trepidus*, ut ait Lucianus, (2) virilis decoris gravitate, hilaritate permixta venerandum, & amabile quidpiam renidens, collum praepingue, & teres vix ſatis commendari poſſunt. Galea mirifice auget capitis decus, & maieſtatem: capilli humeros eleganter inundantes, naturali decore ſplendidi, nulloque lenocinio comti, quantum continent pulchritudinis, & dignitatis! Pectus eius lorica ſquamata armatum eſt; in medio contra adverſos hoſtes pendet caput Gorgonis, tamquam favorabile amuletum. Virginea palla ad pedes pereleganter defluit; brevior tunica more virginum, quae artibus dant operam, quo expeditiores ſint, in varios decoroſque ſinus compoſita eſt. Ad laevam circa femur eadem veſtis ſinuatur quodammodo in peram; quam a Statuario diligentiſſimo factam puto, ut oſtenderet ex ea forſitan Minervam lapides ſumſiſſe vel contra Titanas, vel Gigantes adverſus Iovem pugnantes; vel contra Herculem, quem praeinſania eo deveniſſe Thebani apud Pauſaniam prodidere, (3) ut Amphitruonem patrem ſuum facile occidiſſet, niſi a Minerva lapide

(1) Vide Pauſaniam in Eliacis prior. Cap. XXIV. & Tatianum in Orat. adverſus Graecos.
(2) In Dialogo, qui inſcribitur *Lexiphanes* Tom. II. pag. 546.
(3) In Boeoticis Cap. XI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0143
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

pide ictus ſomno ſe dediſſet ; quem lapidem ipſi σωφρονιςῆρα dixere , hoc eſt *reſipiſcendi auctorem* . Si vero in eo veſtis ſinu nolimus ſaxa a Minerva Bellatrice ſervari ſolita fuiſſe , certe radium aliaque textoria inſtrumenta , quae ipſi tamquam texendi artificio praeſidi (1) ſacra erant , eidemque a feminis abſolutis operibus dedicabantur , repoſita fuiſſe , vel ut Sculptor voluit , reponenda fuiſſe , minime dubitare poſſumus : ad quam conſuetudinem illuſtrandam complura faciunt veterum Graecorum Poëtarum epigrammata in Anthologia , quae ſi opus eſſet adferrem . (2) Hinc ſiniſtra manu decenti cubiti flexione , qua nihil elegantius ab egregio Sculptore fieri potuit , tenet radium , quem ſcimus eidem tributum ; dextera vero praefert ſceptrum , ſummae poteſtatis inſigne . Demum quantam Statuae addant venuſtatem atque elegantiam brachia ipſa nuda de induſtria ita facta ab artifice , nemo non videt . Minerva ERGANE memoratur a Pauſania ; cuius ſimulacro adſiſtens Pluto deſcribitur . (3)

TABVLA VII.

MINERVA CALLIMORPHOS EX AERE.

MEmoriae proditum a Plinio , (4) Phidiam , Graecorum omnium artificum praeſtantiſſimum , qui innumeris ſimulacris ſigniſque Athenas nobilitavit , praeter Amazonem ex aere , peritiſſimorum hominum iudicio probatiſſimam , feciſſe quoque MINERVAM tam eximiae pulchritudinis , ut a forma cognomen acceperit , & CALLIMORPHOS dicta ſit . Spectanti mihi multa cum voluptate aheneum hoc Palladis ſignum , tanta elegantia tantoque opificio perfectum , altitudine aequans Romanos pedes quatuor , licet in ima parte iniuria temporis ſit labefactatum ; non levis orta eſt ſuſpicio , minime , ut ſperare libet ,

(1) Vide Propertium Lib. IV. Eleg. V. v. 23. Virgilium Aeneid. Lib. VIII. v. 409. & Servium in eum locum.
(2) Lib. VI. Cap. VIII. n. 6. 9. 10. 14. 15. 16.
(3) In Boeoticis Cap. XVI.
(4) Lib. XXXIV. Nat. Hiſtor. Cap. VIII. Phidiae vitam vide apud Franciſcum Iunium in Catalogo &c. pag. 151.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0144
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

libet, a peritis doctiſque viris improbanda, quod eius artifex non alium imitandum ſibi propoſuerit, quam Phidiam ipſum in arte praecellentiſſimum. Oris dignitas, ac venuſtas ſumma eſt, nec aliquid virilitatis ſeveritatiſque praefert; quam notam alii artifices in exprimenda eius effigie ſaepius religioſe ſervarunt. Galea non ad terrorem iniiciendum, ſed ad conciliandam admirationem eo modo aliquantiſper ſublata ut frontem ſponte ſerenam, & placidam nec tegat, nec inumbret, ſummo plane ingenio confecta mihi videtur. Angues ad oras aegidis ita complicati atque invicem connexi, magno eidem ſunt ornamento, ac plane raro. Quid vero de veſtium cultu, atque de ingenioſa earumdem concinnatione dicam, qua nil ornatius, elegantius nihil effingi potuit? Laevum brachium veſtibus perbelle circumvolutum abſcondit, Iovis Placidi exemplo, ut paullo ante obſervavimus: dextrum vero (obſervato alio antiquo Signo a pictore ſuppletum) ſublatum habet; manu digitiſque ita compoſitis, ut aliquid tenere videatur: non quidem haſtam, ſed potius pomum, ad exemplar ſimulacri, quod in Anthologia his carminibus illuſtratur a Nearcho, in quibus ita Venus de Pallade pomum manu tenente conqueritur. (1)

Παρθένε Τριτογένεια τί τὴν Κύπριν ἄρτι με λυπεῖς,
Αρπάζασα δὲ ἐμὸν δῶρον ἔχεις παλάμῃ;
Μέμνησαι, τοπάροιθεν ἐν Ιδαίοις σκοπέλοισιν
Ως Πάρις ἄ σε καλὴν, ἀλλ' ἔμ' ἐδογμάτισε;
Σὸν δόρυ καὶ σάκος ἐσ-ίν· ἐμὸν δὲ τὸ μῆλον ὑπάρχει
Αρκεῖ τῷ μήλῳ κεῖνος ὁ πρὶν πόλεμος.

Virgo Pallas, quid Venerem iam me dolore adficis
Rapiens vero meum munus (pomum) tenes manu?
Memento quod antea Idaeis in ſcopulis
Paris non te pulchram, ſed me iudicavit.
Tuum haſta & clypeus eſt; meum vero hoc pomum eſt:
Sufficiat pomo illud prius bellum.

Ferunt praeterea Minervam dono accepiſſe ab Hercule poma Heſperidum; quae quia religioſum erat ea alicubi collocari, eadem Dea ad hortos reportavit, ut auctor eſt Apollodorus. (2)

(1) In Anthologiae Lib. I. Cap. XXXVIII. n. 8.

(2) Lib. II. Biblioth. pag. mihi 105.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0145
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

TABVLA VIII. VIIII.

APOLLO CAELISPEX.

PVblius Victor omnia, quae in ſingulis Vrbis Regionibus fuere ſpectatu memoratuque digna cum publica tum privata monumenta diligenter enumerans, in Regione XI. quam a Circo Maximo denominarunt, fuiſſe perhibet Statuam APOLLINIS CAELISPICIS; quem vir doctiſſimus Bernardus Oricellarius Patricius Florentinus in Latino commentario nobiliſſimo, atque eruditiſſimo, quo eum Scriptorem illuſtravit, ita cognominatum autumat ab eius effigie, quod a Sculptore caelum conſpiciens factus eſſet. Libet eiuſdem ſummi viri verbis tamquam gemmis ornare has meas qualeſcumque lucubrationes. *Refertiſſimam fuiſſe Vrbem Statuis uſque adeo ut fere alter ex aere, marmore, ebore populus videretur, ſatis conſtanti fama pervulgatum: unde varia Statuarum cognomina defluxere pro loco, vicinitate, authore, artifice, effigie, ceteriſque huiuſcemodi; quod & in Graeciae urbibus frequentatum, ſi Pauſaniae accedimus. Romae autem Patriciam Iſidem, Iovem Pompeianum; rurſum Iſidem Athenodoriam Sullanumque Herculem cerneres. Apollini vero id contigiſſe teſtatur Apollo Sandaliarius, a loco ubi Sandaliariae tabernae; & is de quo agimus,* (APOLLO CAELISPEX) *caelum ipſum ſuſpiciens, ab effigie, ut equidem arbitror, cognominatus: nam & Fortunam Reſpicientem in Palatio probavere.* Hoc Oricellarii commentarium tam diu a doctis viris deſideratum creditumque non ſine gravibus querelis fato quodam vel latebris oppreſſum, vel deperditum, nuper feliciter invenit Vir ſummo genere, omniſque eruditionis ſtudio nobiliſſimus Abbas Marchio Gabriel Riccardius Patricius Florentinus; quo auſpice has omnis antiquitatis eruditas delicias quamprimum litterarum reipublicae donabo; addamque Publii Victoris textum ex fide complurium Codicum manuſcriptorum longe emendatiſſimum, & meas quoque obſervationes interſeram.

Hanc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0146
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Hanc igitur Statuam , quam propter eximiam opificii elegantiam & pulchritudinem , nemo eſt qui regium Muſeum Mediceum perluſtret , qui magna cum voluptate non ſuſpiciat , duplici exemplo ob oculos doctorum peritorumque hominum expoſitam , referre arbitror APOLLINEM CAELISPICEM a Publio Victore indicatum ; & fortaſſe etiam vel illam ipſam , vel aliam ad exemplar eiuſdem archetypi a praeſtanti Sculptore confectam . Si ſingulas corporis partes diligenter obſerves in vultu decoro , in fronte augurali , in oculis , in ore , in genis , in naſo , in mento , in collo , in pectore ceteriſque in membris iuvenili vigore ſublucentibus , quantus ineſt ſplendor , quanta dignitas , pulchritudo , maieſtas ! Caput ipſum tam belle in caelum converſum neſcio quanto decore , ac venuſtate nobilitet molliter defluens , & promiſſa caeſaries , qualis ipſum Apollinem Χρυσοκόμην . & Ακερσεκόμην decet . (1) In brachiis vero , vel dextero quo digitum in caelum intendit , vel ſiniſtro , quo trunco arboris innixus , manu faculam praefert , quantum ingenii , ſtudii , atque artis elucet ! Opinati ſunt aliqui hoc ſimulacrum referre Prometheum , qui ignem e caelo in terram ſingulari hominum beneficio adtulit ; id arguentes ex accenſa facula , quam gerit , & quod caelum digito monſtret , e quo tale bonum in terras derivatum eſt : verum in errore eos verſari perſpicue declarat capillus eo modo religatus in vertice , ac prominens , quo cultu praecipuo artifices caput Apollinis exornarunt ; uti etiam appareret in Statua Apollinis , quae cernitur Romae in Hortis Mediceis . (2) Praeterea fax accenſa optime convenit Apollini , qui idem eſt ac Sol ; (3) quem in duabus Gemmis elegantiſſimis Medicei Cimeliarchii a nobis editis , (4) vidimus in curru quadriiugo tenentem auream lampadem , & cornu omnium frugum copia refertum .

(1) Vide Pindarum in Pyth. Od. II. Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.
(2) Vide Statuas tum antiqui cum recentis operis collectas a Dominico Roſſio , & illuſtratas ab Equite Paulo Alexandro Maffeio Patricio Volaterrano Tab. XXXIX. pag. 41.
(3) Vide Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.
(4) Gemmarum antiquarum Muſei Florentini Vol. II. Tab. LXXXVII. & LXXXIX. n. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0147
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA X.

APOLLO INVICTVS.

NOn raro in antiquis numiſmatis, & ſculpturis APOLLO expreſſus eſt nudus, ſtans, ſiniſtro brachio vel lyrae impoſitae arae, vel columellae, vel etiam trunco arboris innixus, dextra ſuſtinens arcum in terram demiſſum, ut videre eſt in antiquo opere anaglypho caelato in auro, & onychi inſerto, quod e Mediceo Cimeliarchio protulimus in priori Volumine Gemmarum antiquarum Muſei Florentini Tab. LXVI. n. 1. Ad exemplum eiuſdem imaginis ſculptum fuiſſe arbitror hoc perelegans ſimulacrum APOLLINIS, cuius caput laurea corona redimitum eſt. Statuarius recentior geſtum dexterae manus, quae ita conformata eſt ut arcum tenuiſſe videatur, non conſiderans, inſiſtentem fecit lyrae ſuperpoſitae arae, cuius inſignia ſunt gryphes in eius tutela. Feſſum igitur ſagittando ab antiquo Sculptore facilius expreſſum dixerim, quam citharam pulſando; vel ita demiſſo in terram arcu, qui addendus fuerat, quieſcentem poſt caedem, qua Pythonem ſerpentem confecit; (1) vel poſt vindictam matris Latonae precibus ſumptam in Nioben, eiuſque filios, quos ſagittis confixit; (2) qua etiam de cauſa eum INVICTVM cognominavimus, auctoritate numiſmatis Imperatoris C. Valerii Licinii, & veteris arae, quam ita inſcriptam, eidemque dedicatam adfert Gruterus. (3)

APOLLINI. INVICTO
SACRVM
M. AVRELIVS M. AVG.
LIB. APOLLONIVS
AGONISTARCHA. COM
MODIANVS.

Aliam

(1) Vide Hyginum Fab. CXL.
(2) Arnobius Lib. I. adverſ. Gentes.
(3) Pag. XXXVIII. 5. Vide & Reineſium in Claſſe I. qui duas adfert inſcript. n. CCXLIX. CCLI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0148
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Aliam adfert Iacobus Sponius, in qua cum Lunae Aeternae, tum Apollini Statua ahenea dedicatur. (1) Poſt caedem Pythonis ſerpentis Apollinem ſe purgaſſe expiatione cum Diana ferunt; (2) coronaque e lauro Tempes Theſſalicae, & ramo lauri in dextera ſumto, rediiſſe Delphum, & Oraculum ibidem occupaſſe.

TABVLA XI.

APOLLO INVENTOR MVSICAE.

NEminem eſſe arbitror in antiquitatis cognitione adeo hoſpitem, qui hanc Statuam, egregii artificis opus, raritate & elegantia celebrem conſpiciens, APOLLINEM iuventa, ac forma ſemper decorum, referre non iudicet. Pharetra, non recentis, ſed antiqui operis, appenſa ſcopulo, in quo ille ſedet, non quidem quietiſſime, ſed quaſi ut videtur quantocius ſurrecturus, mirifice elucente ex omnibus membris quodam motu eius rei indice, ipſum Deum iaculandi inventorem, & magiſtrum, & venationis cum Diana repertorem (3) perſpicue oſtendit. De iaculis, ſeu de iaculandi ſtudio nullam praefert ſollicitudinem; id plane declarante vultu ad omnem iucunditatem hilaritatemque compoſito: nam & pharetra, quemadmodum deſcribitur ab Homero ἀμφηρεφής, operculo clauſa eſt: ipſe vero ita expreſſus videtur a ſolertiſſimo artifice quaſi excogitatos antea modos muſicos ſit iam iam cantaturus. Caput eius taenia, (4) qua victores in muſicis ludis donari ſolebant, quo etiam inſigni ornatum deſcribit Pauſanias, (5) perbelle redimitum eſt; quod capilli in pendulos undequaque cinnos pereleganter diſpoſiti decore coronant. Membra totius corporis iuvenili vigore florida, quam apte compoſita, atque ſibi invicem reſpondentia ſint, bene ille iudicabit, qui ipſum Statuae archetypum ſedulo contemplari voluerit. Pedes ſandaliis affabre ſculptis exornantur;

(1) In Miſcell. erud. antiquit. Sect. II. Art. XI. pag. 68.
(2) Aeliarcus V. H. Lib. III. Cap. I. Pauſanias in Corinthiacis Cap. VII.
(3) Xenophon Libro de Venatione.
(4) Virgilius Aeneid. Lib. V. v. 269.
(5) In Atticis Cap. VIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0149
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tur ; quos aureos fuiſſe canit Callimachus in eius hymno ; & fortaſſe etiam antiquitus eos artifex inauravit. Hactenus haec inſignia Apollini communia ; quod vero raritatis auget pretium, eſt teſtudo exquiſito opificio elaborata, quam idem Apollo premit dextero pede, de qua mox dicetur. Accedunt tibiae, quas ut auguror, antiquitus hoc ſignum tenebat, quaeque ei reſtituendae fuerant, quum intercidiſſent ; & quidem non levibus rationum momentis. Nam ſi quis bene animo advertat, manus, & digiti ita conformati ſunt ut aliquid teres praeferant neceſſe ſit ; atque eo quidem geſtu, cui nec iacula, nec haſtae, nec ſceptra (quorſum enim bina haec ?) conveniant, & plane utraque manu gerenda : quare praeter tibias duplices, quae alia inſtrumenta, aut inſignia eidem aptius convenientiuſque tribui poſſint, certe non video. Quamvis enim veteres auctores tibiarum inventricem faciant vel Melpomenen Muſam, vel Marſyam, vel Olympum, vel Hyagnidem, vel potius Minervam ; quae poſtea irriſa ab Iunone & Venere, quum ad epulas Deorum buccas inflans foeda viſa eſſet, eas abiecit in Ida ſilva ſtatim ac ſe in fonte conſpiciens id eſſe verum comperit : (1) tamen non deſunt auctores, qui adſerant, Apollinem non ſolum Muſicae, verum etiam tibiarum, & citharae inventorem fuiſſe : cuius praeclarae laudis libet prae omnibus adferre auctorem Plutarchum, (2) cuius teſtimonium omni eruditionis fruge refertum eſt. Ημεῖς δὲ οὐκ ἀνθρωπόν τινα παρελάβομεν εὑρετὴν τῶν τῆς μουσικῆς ἀγαθῶν, ἀλλὰ τὸν πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκοσμημένον Θεὸν ΑΠΟΛΛΩΝΑ, οὔτε γαρ Μαρσύα, ἢ Ολύμπου, ἢ Υάγνιδος, (ὥς τινες οἴονται) εὕρημα ὁ αὐλός. οὐ μόνη δὲ κιθάρα Απόλλωνος, ἀλλὰ καὶ αὐληκικῆς καὶ κιθαριστικῆς ΕΥΡΕΤΗΣ ὁ Θεός. δῆλον δὲ ἐκ τῶν χορῶν καὶ τῶν δυσιῶν ἃς προσῆγον μετὰ αὐλων τῷ Θεῷ. καθάπερ ἄλλοι τε καὶ Αλκαῖος ἔν τινι τῶν ὕμνων ἱστορεῖ. καὶ ἡ ἐν Δήλῳ δὲ τοῦ ἀγάλματος αὐτοῦ ἀφίδρυσις ἔχει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ τόξον, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Χάριτας, τῶν τῆς μουσικῆς ὀργάνων ἑκάστην τι ἔχουσαν. ἡ μὲν γὰρ λύραν κρατεῖ· ἡ δὲ αὐλούς, ἡ δ' ἐν μέσῳ προκειμένην ἔχει τῷ στόματι σύριγγα. Οτι δ' οὗτος οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος Αντικλῆς, καὶ Ιστρος ἐν ταῖς ἐπιφανείαις περὶ τούτων ἀφηγήσαντο. Οὕτω δὲ παλαιόν ἐστι τὸ ἀφίδρυμα τοῦτο, ὥστε τοὺς ἐργασαμένους αὐτὸ, τῶν καθ' Ηρακλέα μερόπων φασὶν εἶναι. *Nos vero non hominem accepimus ornamentorum Muſicae inventorem ullum fuiſſe, ſed omnibus virtutibus excultum* APOLLINEM. *Neque*

(1) Vide Hygini Tab. CLXV.

(2) In Commentario de Muſica.

que enim Marſyae , vel Olympi , vel Hyagnidis , ut quorumdam fert opinio , inventum eſt tibia . Nec vero unius Apollo citharae , ſed & tibiae & fidium eſt cantus ille Deus INVENTOR : *quod ex choris liquet , & ex ſacris , quae Apollini ad tibias faciebant : ut tum alii , tum in hymno quodam Alcaeus tradit . Sed & ſignum , quod in Delo ei eſt ſacratum , habet ad dexteram arcum , ad laevam Gratias : quarum habet unaquaeque organum aliquod muſicum . Vna tenet lyram , alia tibias , admotam ori media fiſtulam . Neque a me finguntur haec , ſed Anticles , & Iſter de apparitionibus agentes tradidere . Vſque adeo autem eſt huius dedicatio ſigni vetuſta , ut opifices eius compares aetatis Herculis ferant fuiſſe .*

Quod adtinet ad teſtudinem , quam premit dextero pede , qua de cauſa eidem Apollini tributa ſit , inveſtigandum . Neque enim ea Apollinis tantum inſigne , ſed & Veneris fuiſſe compertum eſt ex Pauſania , (1) qui apud Eleos cultam fuiſſe Venerem Οὐρανίαν *Caeleſtem* docet ; cuius ſignum altero pede teſtudinem premente ex ebore & auro fecit Phidias . Quid hoc ſymbolum deſignet , aliis quaerendum relinquit Pauſanias . Plutarchus vero (2) domi manendum , & ſilendum feminis ſignificare oſtendit. Eadem teſtudo tributa Mercurio , ut colligimus ex compluribus antiquis ſculpturis e marmore , & ex Gemmis . Eidem teſtudini ferunt Mercurium (quod auctor Hymnorum , qui Homero tribuuntur , (3) graphice deſcribit) ſive ea marina , ſive terreſtris fuerit , exſiccatis interaneis , ſectos calamos tranſverſim aptaſſe , deinde corium bubulum ſuperinduxiſſe ; additiſque ſuperne duobus brachiolis ſive cubitis , (alii cornua ſilveſtris caprae fuiſſe volunt) iugo impoſito coniunxiſſe ; ſeptemque nervos illi adligaſſe , qui inferne in umbilico teſtae altrinſecus revincti deſinebant : ex quo Lucianus , & Philoſtratus aliique ſuas deſcriptiones paucis immutatis deſumſerunt . (4) Apollodorus non lyram ſolum , ſed etiam plectrum inveniſſe Mercurium adfirmat , eumdemque poſtea Apollini tradidiſſe ut furatas ab eo boves reciperet . Verum huiuſce Statuae Sculptor in tanta Scriptorum contentione ſententiam illorum fortaſſis communiorem ſequi maluit , qui lyrae , & citharae auctorem faciunt Apollinem ; quorum loca , minime ignota viris doctis , praetermittenda eſſe cenſeo :

quare

(1) In Eliacis Poſterior. Cap. XXV.
(2) In Tract. de Praeceptis connubialibus .
(3) In Hymno in Mercurium .
(4) Haec notat doctiſſimus Joannes Baptiſta Donius Cap. I. Lyrae Barberinae ; quod opus nunc prelo commiſſum a me eſt .

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0151
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

quare teſtudinem eius dextero pedi ſubiecit. In fano apud Patras memorat Pauſanias (1) huic omnino ſimile fuiſſe Signum ex aere Apollinis nudi, pedibus tantum calceatis, quorum altero bovis calvae inſiſtebat: cuius figmenti de bovis calva non aliam rationem habuiſſe fictorem coniicit idem Pauſanias, niſi quod ſciret Apollinem bobus delectatum fuiſſe, ut in hymno quem fecit in Mercurium docuit Alcaeus, boves ſubreptas Apollini a Mercurio memorans; quod etiam ante Alcaeum verſibus Homerum prodidiſſe teſtatur. Idem nos quoque adſerere poſſumus, non ob aliam cauſam a Statuario Apollini tributam teſtudinem fuiſſe, niſi quia ex Poëtis, & ex Mythologis antiquis ſciebat eidem tamquam lyrae conditori, vel eius perfectionis auctori tributam fuiſſe.

Aliis quoque de cauſis (liceat mihi Pauſaniae exemplo coniecturae indulgere) egregius Statuarius vel terreſtrem, vel marinam teſtudinem Apollini adiicere fortaſſis potuit; nimirum ut ſignificaret Apollinem Medicinae Deum, ac parentem eſſe: nam eiuſdem teſtudinis ſanguinem compluribus mederi morbis, & antidotum eſſe contra venena tradit Plinius. (2) Ariſtoteles, Antigonus Caryſtius, Plutarchus, & alii Graeci, ut notat Salmaſius in Solinum, (3) memorant teſtudinem, ubi ſerpentem ederit; ut hoc illi ſit impune, & ſine noxa, origanum manducare; Aelianus addit quoque rutam: quapropter teſtudo Apollini SALVTARI ET MEDICINALI bene convenire poteſt; quo inuſitato ac numquam antea audito cognomine in hac votiva Tabula nuper Romae eruta decoratur; quam mecum communicavit V. C. Franciſcus Victorius ex Equeſtri Ordine D. Stephani numquam ſatis a me laudandus.

APOLLINI
SALVTARI
ET MEDICINALI
SACRVM

Aeſcu-

(1) In Achaicis Cap. XX.
(2) Hiſt. Nat. Lib. XXXII. Cap. IV.
(3) Vide Exercitat. Plinian. Tom. II. pag. 901. & Joannis Pierii Valeriani Hieroglyph. Lib. XXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0152
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Aeſculapio quoque teſtudinem hac de cauſa, vel etiam ad denotandam prudentiam, providamque cunctationem Medico neceſſariam veteres tribuiſſe arbitror; cuius imaginem vidi manibus teſtudinem praeferentem inter Gemmas antiquas, quas diligentiſſime delineavit Vir Celeberrimus Philippus Bonarrotius Senator, & Patricius Florentinus. Virtutis ac ſapientiae ſymbolum eſſe hoc animal docet vetus proverbium apud Pollucem, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σωφίαν νικᾶντι χελῶναι; hoc eſt *Virtutem, & Sapientiam teſtudines ſuperant*. (1)

Poteſt etiam teſtudinis ſymbolum Apollini convenire tamquam Vati, & Auguri: nam ferunt hoc animal fauſtiſſimi ominis eſſe. Neque enim reticendum quod prodit hiſtoria, (2) id in Caeſarum familia peculiarius ſervatum, uti domus parvuli teſtudineis ablueretur alveis; & inde Clodio Albino factum imperii praeſagium: nam eo recens nato, teſtudo magnitudinis viſendae ab piſcatore patri Ceionio Poſtumio adlata eſt; quam is homo impenſe litteratus ad pueriles deſtinavit excaldationes.

Praeterea teſtudo terreſtris, quum in ſingulis annis ſtata vice partim in terra deliteſcat, partim ſuper eam repat, & conſpiciendam ſe praebeat, quapropter Cybeli Magnae Deûm Matri Idaeae ſacra eſt; vel quia quum lingua careat, ſilentii, & taciturnitatis nota eſt, quam ſervare debebant qui eius myſteriis initiabantur, ut obſervat Laurentius Pignorius, (3) recte convenire Apollini credita eſt; qui ex Macrobio (4) idem eſt ac Sol, qui *Inferus* dicitur quum inferiore hemiſphaerio, id eſt hiemalibus ſignis curſum ſuum peragit; *Superus* vero quum partem zodiaci ambit aeſtivam; quare etiam Mercurio, qui ſuperorum, & inferorum Deorum adminiſter, & nuntius exiſtimatur, eadem de cauſa teſtudo antiquitus dedicata eſt; quam, ut exhibent antiquae ſculpturae, vel manu praefert, vel iuxta pedes habet: quapropter ſi quis hoc Signum factum voluerit ab antiquo Statuario ut potius referret Mercurium, quam Apollinem; cui etiam tribuitur a Mythologis pharetra iaculis referta, quae eidem Apollini ſubripuiſſe ferunt, & teſtudo in eius tutela ponitur in ſexcentis ſculpturis expreſſa, minime repugnabo.

Marinam teſtudinem ſi ad Apollinem, ſive ad Solem referre velimus, qui omnia luſtrat lumine ſuo, ac videt, quare πανόψιος

 dictus,

(1) Vide L. Begerum in Numiſmata Peloponneſi pag. 447.
(2) Vide Caelium Rhodiginum Lib. X. Cap. III. Lect. antiq.
(3) De Matris Idaeae, & Attidis initiis, pag. 7.
(4) Vide Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XVIIII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0153
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

dictus , (1) aliud argumentum ſuppeditabit idem Aelianus , (2) qui tanta praeditos virtute eius oculos eſſe adfirmat ut longe lateque fulgorem iaculentur : quorum pupillae candidiſſimae , ac ſplendidiſſimae quum exiſtant , eruuntur , ut vel auro includantur , vel monilibus inſerantur ; quamobrem mulierum admiratione plurimi aeſtimari ſolitas teſtatur .

TABVLA XII.

APOLLO PYTHIVS.

APOLLINEM ferunt victo ſuperatoque ab Iove Saturno rege , eoque e regno pulſo , Victoris patris laudes ceciniſſe . (3) Id ipſum quoque feciſſe occiſo Pythone ſerpente perſpicue declarat hoc perrarum & elegans Simulacrum : nam ſedens citharam plectro pulſat , pariterque laevae manus digitis percurrit : ad pedes vero iacet immanis ſerpens , quem idem Apollo VICTOR dextero pede premit , & quodammodo conterere videtur : quare eum PYTHIVM cognominandum eſſe cenſui . Nudum effinxit doctus Statuarius , ut ingenium ſuum , ſummamque in arte peritiam oſtenderet : quamvis in aliis ſculpturis cernatur chlamyde ornatus , veſte Citharaoedorum propria , vel palla amictus , vel veſte ; (4) non aliter ac rogatur invocaturque a Tibullo (5) ut appareat in ſacris , quae in eius honorem fiebant Meſſalino in Collegium Quindecemvirûm cooptato , quorum cura erat Sybillinos verſus interpretari .

Sol nitidus pulcherque veni : nunc indue veſtem
Sepoſitam , longas nunc bene pecte comas ;
Qualem te memorant Saturno rege fugato ,
Victori laudes concinuiſſe Iovi .

Caput

(1) Nonnus in Dionyſ. Lib. IX. verſus finem.
(2) Lib. IV. de Animal. Cap. XXVIII.
(3) Tibullus Lib. II. Eleg. V. v. 10.
(4) Vide quae adnotavimus in priori Volumine Muſei Florentini ad Tabulam LXV. pag. 129.
(5) Lib. II. Eleg. V. v. 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0154
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Caput Apollinis laurea corona redimitum non eſt ; quod non ſine iudicio factum a Statuario dixerim : nam hic Deus nondum amore Daphnes exarſerat , e qua in laurum converſa coronam ſibi intexuit . Id quoque advertit Ovidius Pythiorum certaminum originem deſcribens , quae idem Apollo in memoriam occiſi ſerpentis inſtituit . (1)

Neve operis famam poſſet delere vetuſtas ,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos ,
PYTHIA *perdomitae ſerpentis nomine dicta .*
Hic iuvenum quicumque manu , pedibuſve rotave
Vicerat , eſculeae capiebat frondis honorem ;
Nondum laurus erat ; longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus .

TABVLA XIII.

MARSYAS.

PErvulgata eſt , omniumque in ore MARSYAE fabula , quem Apollo Muſarum iudicio vicit citharae cantu , tibiarum concentu in certamen ab eo provocatus , ut tradit Hyginus . (2) Auctorum alii ad arborem religatum fuiſſe , eique viventi detractam pellem perhibent ; quod etiam vetuſtiſſimae ſculpturae teſtantur . In ſepulcris feralem hanc fabulam exprimentes veteres Etruſci , (3) eumdem Marſyam ad arborem fune revinctum exhibuere . Philoſtratus vero iunior , qui eius non imaginem ſolum , verum etiam dolorem in oculis , in fronte , in capillis mirifice pingit , in arbore ſuſpenſum fuiſſe oſtendit . (4) Huius Statuae caput , & brachia ab alio artifice reſtituta minime conſideranda ſunt ; reliquae vero corporis partes , quamvis ſummo opificio ſculptae ſint , cedunt tamen alteri Statuae Marſyae , quae Romae ſpectatur in Hortis Mediceis . (5) TA-

(1) Metamorph. Lib. I. Fab. VIII. v. 445.
(2) Fab. CLXV.
(3) Vide Monumenta Dempſteriano Operi addita Tab. IX.
(4) In Iconibus.
(5) Vide in Statuarum Romanarum Libro Tab. XXXI. pag. 34.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0155
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

TABVLA XIIII. XV.

VRANIA.

APollini Μουσαγήτῃ (1) comites addimus MVSAS, eius consortio ac praesidio gaudentes; quarum prima in his Tabulis exhibetur VRANIA, quae caeli, atque astrorum motus scrutatur. Circinum dextera, globum siniſtra tenet; quae artis instrumenta, quamvis a recenti artifice restituta sint, tamen ei conveniunt propter studium rerum caelestium, inventamque astrorum scientiam, qua laude eam veteres exornarunt. In antiqua Gemma regii Medicei Cimeliarchii, quam illustravimus, (2) volumen dextera praefert, adpositumque est astrum, quod Solem refert, & Luna bicornis. In insigni Tabula, quae Apotheosin, sive Consecrationem Homeri repraesentat, quam commentario illustravit doctissimus Gisbertus Cuperus, eadem Vrania virgo cum globo columnae impositio sculpta est, quo sphaera caelestis indicatur. (3)

Quaemadmodum vero hoc Signum Vraniae valde nobilitatur virginali palla, quae ad pedes defluit, multo plane artificio elaborata a docto artifice; ita alterum Musae Signum marmoreum, quod in sequenti Tabula XV. exhibetur, licet exiguum sit, tamen praestanti opificio confectum censetur. Astronomica instrumenta, seu symbola huic quoque Signo addita sunt; quare quum laevum pedem motu antevertat, dextrum retrahat, saltationi potius praesidem Musam ERATON, quam aliam virginem ex eodem choro, ab Statuario antiquo factam fuisse existimo; cui etiam vestium elegantissimarum luxus, & comti pereleganter capilli valde conveniunt. Vetus Poëta de Erato cecinit: (4)

Plectra gerens ERATO *saltat pede, carmine, vultu.*

TA-

(1) Ita cognominatur apud Diodorum Siculum Lib. I.
(2) In priori Vol. Gemmar. antiq. Tab. XLIV. n. IX. pag. 103.
(3) Vide eumdem Cuperum ibidem pag. 147. 148.
(4) Aliqui Ausonium dicunt in Epigr. de Musarum inventis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0156
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XVI. XVII.

EVTERPE.

SPectatu dignum est hoc simulacrum, quod MVSARVM unam refert, ut auguror EVTERPEN, cui tibias Latini (1) veteres auctores, Graeci vero Terpsichorae adsignarunt. (2) Parum enim hi sibi constant, praecipue vero Poëtae, in tribuendis musicis instrumentis, quae singulis Musis conveniant. Si laevae manus, & digitorum conformationem huius Musae probe expendas, tibias praetulisse dixeris, quae temporum iniuria periere. Quod vero silentio praetereundum non est, Musa caput habet non corona e rosis intexta, quam Musis tribuit Sappho apud Clementem Alexandrinum, (3) neque e palma, ut auctor est Phornutus, (4) neque frondibus, aut floribus redimitum, (5) sed diademate revinctum, atque in eo in vertice infixas duas pennas victoriae indices, quam eaedem cantus Deae consecutae sunt. Ferunt enim Sirenas cum Musis cantu certare ausas, ab iisdem victas fuisse, & pennas, quemadmodum inter utrasque convenerat, ex earum alis evulsisse (erant enim ex avium genere Sirenes) easque funiculo colligatas pro corona capiti singulas sibi aptasse, quod diligenter notat Pausanias, (6) & Eustathius in Homerum. (7) Pennas quoque versicolores in ornatum capitis eis tribuunt, (8) tum propter Sirenas devictas, tum etiam propter filias Pieri ab iisdem cantu superatas, & in picas conversas; quarum fata eleganter describit Ovidius. (9) Insigne hoc Musarum certamen exhibet elegantissimus numquam antea editus marmoreus Sarcophagus, qui Florentiae conspicitur in Aedibus Illustrissimi Viri Baronis Cerbonis Del-Nero Patricii Florentini, quem in aerea Tabula diligenter incidendum curavi, & quam-

(1) Horatius Carm. Lib. I. Ode I. Vide Lil. Gyraldum de Musis. Caelium Rhodiginum Lect. Ant. Lib. VII. Cap. IV. Bened. Averanium Dissert. LXII. in Anthol. n. 3.
(2) In Anthologia vetus epigramma Callimachi Lib. I. Cap. LXVII. n. 22. Vide Gisbertum Cuperum in Apotheosin, sive Consecrationem Homeri pag. 27.
(3) In Paedagog. Lib. II.
(4) De Natura Deorum Cap. XIV.
(5) Ex Plutarcho Quaest. Convival. XIII. XIV. Vide etiam Gyraldum in Syntagm. Historiae Deorum n. VII. de Musis & in alio Commentario de Musis.
(6) In Boeoticis Cap. XXXIV.
(7) Commentario in Lib. A Homeri n. CLXI. pag. 171. editionis Florentinae.
(8) Vide L. Begerum in Gemmas Mus. Brand. pag. 54.
(9) Metamorph. Lib. V. Fab. IV. & IX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0157
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

quamprimum proferam in altera Parte Inſcriptionum antiquarum, quae in Etruriae Vrbibus exſtant. Eidem certamini adſiſtit Iuppiter in ſolio ſedens, dextra vero Minerva haſtam tenens, ſiniſtra Iuno velato capite, ſceptrum praeferens. Muſae pennas ex earum alis evellunt, iiſdemque ornatum habent caput: aliquae etiam eas flagris caedunt, tenentque vel humi proſtratas, vel fugere conantes.

Sequitur in Tabula XVII. bicubitale Signum marmoreum egregio opificio ſculptum, quod Muſarum unam & quidem EVTERPEN referre arbitramur: nam tibiam dextra praefert, ſiniſtra vero volumen. Palla ad pedes defluens Muſam decet; qua quidem artium inventrices Virgines in his atque aliis antiquis ſculpturis amictae viſuntur. Caput vero, quod forte Iunonis fuit, loco veteris ac proprii huic Signo additum arbitror ab artifice ſtatuariae artis quidem perito, verum in re antiquaria hoſpite: nam mitella, vel anademate faſtigiato ornata Muſarum capita numquam me videre memini. Pictor bene caput huic Signo repoſitum fuiſſe indicavit in delineatione.

TABVLA XVIII.

CLIO.

SEquiori aevo ſculptum eſt hoc Muſae Simulacrum; quod non ſolum ipſa ſculptura parum elegans oſtendit, verum etiam epigraphe, quae litteris hoc modo inciſis in baſi nomen Statuarii adhuc nobis incogniti declarat:

ΟΡΥΣ ΑΤΤΙCΙΑΝΙΣ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΝΙΣ

Hanc ipſam epigraphen protulit Senator Philippus Bonarrotius in Praefatione Obſervationum in Vaſa Vitrea Coemeteriorum veterum Chriſtianorum pag. XXI. & peculiarem τ & ϡ litterarum figuram obſervavit, ſaeculo praeſertim ſexto uſitatam, uti alia ſcri-

ſcripta monumenta eiuſdem temporis teſtantur . Quam vero e Muſarum choro referat hoc Signum , non ita facile dixerim ; quum cithara , & lyra a Poëtis tribuatur ſingulis fere Muſis : CLIO vero , quod Heroum geſta celebret , & poſterorum memoriae tradat , cithara gaudet , eidemque peculiariter adſignatur , ut antiquus Poëta docet ,

CLIO *dulciſonae citharae modulamina ſumſit* .

TABVLA XVIIII.

DIANA VENATRIX.

PRimus omnium Pamphus , teſte Pauſania , (1) fertur verſibus cognominaſſe DIANAM Καλλίϛην *Pulcherrimam* , accepto eo cognomine ab Arcadibus ; eius enim aedes celebris valde apud eos fuit . Ita quoque celebratur ab Euripide in Hippolyto : (2)

Κάλλιϛα τῶν κατ' Ολυμπον
Παρθένων Αρτεμι .

Pulcherrima in caelo degentium
Virginum Diana .

DIANA VENATRIX , quam exhibet hoc Signum , ſi omnium partium concinnitas & ſymmetria ſpectentur , tanto ingenio , & elegantia expreſſa eſt a docto Statuario , ut recte ei quoque Dianae Καλλίϛης cognomen convenire poſſit . Nihil plane in eo occurrit quod cognitum pervulgatumque non ſit : pauca tamen quae ad opificium ſpectant breviter obſervanda . Caput eiuſdem Virginis perpulchrum eſt , cuius vertici imminet luna bicornis ; crines non , ut in aliis ſculpturis , ſoluti , ſed concinne plexi , ac revin-

(1) In Arcadicis Cap. XXXV. (2) V. 71.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0159
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

revincti ſplendorem & decus eius augent. Brevior tunica, qua amicta eſt, quanta induſtria, & arte confecta ſit nemo non videt: ſtola ad pedes fluxa nonne vento diffundi, & criſpari quodammodo videtur? Quo vero clarius atque apertius Sculptor ingenium ſuum oſtenderet, eamdem veſtem ſupra nudum genu fibula collegit: quo conſilio nihil venuſtius, elegantius, aptiuſve excogitari potuit. Pedes ſoleis perbelle calceati ſunt, ipſamque Deam poſt celerem curſum conſiſtentem, indito quodam in membris motu, repraeſentant: manus & brachia ad humerum nuda, quo paratior atque expeditior ſit ad venandum. Dextera manus concinna cubiti flexione ita docte ſculpta eſt, ut e pharetra in humeris ſuſpenſa, iacula depromere videatur; quo geſtu feliciter exprimendo magnopere certaſſe inter ſe artifices colligimus ex pluribus aliis operibus, in quibus Diana ita ſagittas e pharetra educens exhibetur. Canis quoque venaticus, Dianae comes, perpulchro collari tamquam torque coronatus, eamdem Deam Κυνηγέτιν reſpiciens, nonne eo ſtatu ſtudium venationis, & flagrantiſſimam praedae cupiditatem aperte oſtendit? Neque enim a ſequioris aevi Statuario additus eſt eidem Signo canis, ſed antiqui operis eſt, & non ſine voluptate ſpectandi.

Simulacrum hoc, ſi non per omnia, maxima tamen ex parte illuſtrat Claudianus, (1) qui Dianae Venatricis imaginem, cultum, ſtudia non tantum deſcribit, ſed loquente pictura carminum ob oculos ponit: adeo ut nemo negare poſſit inſignes Pictores, & Statuarios, alioſque caelandi gloria inſignes artifices ſecutos fuiſſe exempla Deorum Dearumque a Poëtis antiquis egregie carminibus delineata, atque expreſſa. (2)

At Triviae lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phoebique genas, & lumina Phoebi
Eſſe putes, ſoluſque dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent, levibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remiſſo
Otia nervus agit, pendent poſt terga ſagittae.
Criſpatur gemino veſtis Gortinia cinctu
Poplite fuſa tenus. ———

TA-

(1) De raptu Proſerpinae Lib. II. v. 27.

(2) Vide Franc. Iunium de Pict. vet. Lib. III. Cap. I. §. 19.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0160
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XX.

SYMBOLICA DIANAE EPHESIAE STATVA.

DIANAE EPHESIAE ſimulacro in hunc aliumve modum ſymbolis referto, priſcorum Aegyptiorum doctrinam, & exempla ſecuti Epheſini Hierophantae, nihil aliud apud rudes homines, quo facilius auguſtiorem hanc Deam cognomento MAGNAM (1) redderent, ſignificare voluerunt, quam Naturam rerum omnium moderatricem, ac parentem; vel ipſam Terram animantium omnium altricem, quare mammis totum eius corpus ambiere. Claudius Menetreius Bibliothecae Barberinae Praefectus, praeclare de antiquitate meritus, primus omnium ex compluribus Cimeliothecis inſigniora ſeptem protulit Dianae Epheſiae ſimulacra, eorumque ſymbola illuſtravit; ea inter potiſſima haec ſunt, corona florea & turrita, qua eius caput inſignitur; velum, ſeu peplum, quod a capite eius pendet, & poſt humeros totam tegit; multarum mammarum effigies, quibus univerſum eius corpus denſatur; Victoriolae manibus praeferentes vel palmas, vel vittas, ſeu taenias; ad haec complura animalia eidem tributa, ac praeſertim cervi, leones, tigres, pantherae, boves, gryphes, ſphinges, dracones, apes, cancer; inſuper encarpi, corollae, multiplices flores, glandes, faſciae, aliaque huiuſmodi ornamenta, quae quid deſignent ex Mythographorum placitis erudite exponit. Hoc quoque Signum, quod tunc exſtabat in Muſeo Sereniſſimi Principis Leopoldi Medicis, totum ut videtur, e Pentelico lapide longe elegantiſſimum, in lucem protulit, verum non ſatis diligenter delineatum, atque expreſſum; (2) altitudine fere aequans Romanum pedem: ſymbola vero, quibus exornatur, ſilentio praetermittens, ea nunc nobis illuſtranda reliquit.

Multa igitur ut paucis conferam, primum obſervanda eſt corona muralis, quae ei tribuitur, non ad augendam ſolum maieſta-

 tem,

(1) Vide Act. Apoſt. Cap. XIX. v. 28.

(2) Edit. Romanae apud Iac. de Rubeis an. 1688.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0161
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tem , & dignitatem capitis , ad exemplum Aegyptiorum numinum , verum etiam ad declarandum eius tum in res omnes ſublunares , tum in urbes imperium , & naturae eius omnium procreatricis virtutem , & beneficentiam . In hymno , quem alii Homero , alii Orpheo adſcribunt , Ανασσα *Regina* dicitur ; & in fine ut adſit propitia , & faveat cultoribus , *μέγα κρέισσα late imperans* ſalutatur . Non paucae exſtant arae eidem dedicatae , in quibus DIANA CONSERVATRIX & INVICTA , in Graecis quoque lapidibus & nummis ΣΩΤΕΙΡΑ appellatur . Eadem a Sophocle vocatur (1) Γαιάοχος *terram obtinens* , vel *ſervans* ; a Callimacho Λιμενοσκόπος (2) *portuum inſpectrix* vel *cuſtos* ; tamquam bona eorumdem ex alto ſpeculetur , & provideat . Magnificis hiſce appellationibus Dianam veteres exornarunt ut eius potentiam , urbium tutelam atque cuſtodiam , imperiumque longe lateque diffuſum declararent ; quod etiam perſpicuum eſt legentibus Acta Apoſtolorum Cap. XIX. in quibus ubique gentium acceptus cultus eiuſdem Magnae Deae Epheſinorum indicatur .

Velata , ut opinor exhibetur Diana , ut eam auguſtiori ſpecie inſignem , libentius omnes veneratione proſequerentur . Ex Pauſania , qui Iovem Olympicum deſcribit , colligimus ante ſimulacrum Dianae Epheſiae in templo fuiſſe velum quod ſubter lacunar ſurſum attollebatur . (3) Hoc velo noctem , cuius Diana oculus dicitur , indicari arbitratur Menetreius ; quae opinio non bene mihi arridet : nam velo amictum quoque Iunonis Samiae ſimulacrum cernimus in Samiorum nummis . Conſuetudinem velandi capita Dearum quo auguſtiora cultoribus redderentur , ab Aegyptiis acceptam fuiſſe docent vetera monumenta , quae nuper vulgavimus , & Menſa Iſiaca a Laurentio Pignorio naviter illuſtrata . Verum nihil repugnat ut peplum ei quoque ab Epheſinis dedicari ſolitum ſtatis diebus opinemur , quemadmodum Troianae puellae faciebant , quae peplum ferentes ad templum , Minervam Deam amiciebant , ut canit Virgilius , Homerum ut fere ſemper imitatus . (4)

Collum , & pectus eiuſdem Deae multo minus ornatum eſt quam in aliis ſimulacris videmus : e torque tamen admodum eleganti inter ubera pendet lunula e ramuſculo , qui palmam foliis radiatam refert . Palma eidem ſacra eſt , quae Latonae matris par-

(1) In Oedip. Tyr. v. 166.
(2) In Hymno ejus v. 259.
(3) In Eliacis Prior. Cap. XI.
(4) Aeneid. Lib. I. v. 479.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0162
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

partum , eiuſque natale teſtatur : eaque de cauſa expreſſa in Epheſiorum nummis cernitur , atque iuxta eam cerva animal Dianae venatrici dicatum . Theognis Poëta Latonam parturientem Apollinem & Dianam , palmam manibus fuiſſe complexam canit ; quod etiam tradit auctor Hymnorum , qui Homero tribuuntur . Catullus vero (1) prope olivam eam depoſuiſſe prolem ſuam notat : mos enim puellarum utero laborantium fuit proxima quaeque apprehendere . Ante aedem eiuſdem Dianae in Aulide conſitae fuere palmae fructus mitiores edentes , licet inſuaves , ut notat Pauſanias . (2) Iſidi , quae eadem eſt ac Diana , ſacram eſſe palmam docet Apuleius , (3) & nos alibi ex antiquis monumentis adnotavimus . (4)

Reliquum corporis eiuſdem Dianae Epheſiae quatuor ſegmentis exornatur ; in ſingulis parva ſigna egregio opere anaglypho ſculpta ſunt . In primo ſegmento protomae exhibentur , ad dexteram Dianae ſive Lunae , ad ſiniſtram Apollinis ſive Solis . Poſt humeros eiuſdem Deae Epheſinorum in aliis ſimulacris huic ſimilibus , quae protulit Menetreius , apparet diſcus ſeu globus , vel etiam Luna bicornis ; heic tamen alae ſublime elatae , volantibus ſimiles eidem tributae viſuntur . Caput vero Apollinis radiatum eſt , ac diſco ſeu nimbo in ſphaerulae modum rotundo , condecoratum : quod inſigne maieſtatis , & venerationis ab Aegyptiis accepere Etruſci noſtri , ab Etruſcis vero Romani , ut alibi contra ſententiam Laurentii Pignorii obſervavimus . (5)

Duas rariſſimas Gemmas evulgavimus in priori Volumine Muſei Florentini Tabula LXVII. n. II. & VIII. (6) in qua tum Dianae Caeleſtis , tum Dianae Epheſiae ſimulacro additae ſunt alae , velocitatis indices , ut auctor eſt Macrobius ; (7) quas primum Aegyptii , & Phoenices , eorumque exemplo iidem Etruſci noſtri Diis dedere . Non multum ab his diverſae ſunt effigies horum numinum infantium ſpecie , quos tum dextra , tum laeva praefert Latona ; qui etiam manibus accenſam facem gerunt . Horum imagines illuſtravimus in Monumentis additis nuper editis Donianis Inſcriptionibus antiquis Tabula V. numero IV. Solem , & Lunam divinis honoribus , & cultu maximo proſecutae ſunt priſcae gentes , quod innumera beneficia in genus humanum

(1) Carm. XXXIV.
(2) In Boeoticis Cap. XIX.
(3) Metamorph. Lib. XI.
(4) Vide Par. I. Inſcript. ant. Etruriae Vrbium pag. 373. 375.
(5) In eadem Par. I. Inſcript. ant. Etruriae Vrbium Tab. XVI. n. I. pag. LXXVIII.
(6) Pag. 133. 134.
(7) In Somnium Scipionis Lib. I. Cap. XVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0163
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

num ab his praeſtari crederent . Sexcentae exſtant arae SOLI & LVNAE inſcriptae, quos Deos INVICTOS & AETERNOS veteres appellarunt .

In ſecundo ſegmento , ſive loculamento ſculptae ſunt tres ſorores Gratiae , quas Graeci Charitas dixere ; nudae ſunt , & mutuo brachiorum nexu inter ſe iunctae . Has Deas pulchritudini , ac riſui praeſides , omnium fere Deorum comites fecit antiquitas . Veneris , Cupidinis , Mercurii , Iuventutis , Nympharum ſocias orat , atque invocat frequenter Horatius . Illuſtre anaglyphum opus e marmore adfert Fabrettus , (1) in quo iuxta Genium Fontis , Mercurium , & Herculem ſe ſe coronantem , quaſi eorum conſortio gaudeant , ſculptae ſunt Gratiae decentes . Eaedem cum Horis ſimul expreſſae in diademate Iunonis memorantur a Pauſania , qui eius fanum apud Mycenas , & ſimulacrum deſcribit , eximium Polycleti opus . (2) Idem Pauſanias (3) laudat ſigna Liberi Patris , & Apollinis Delii , in quorum manibus Gratiae poſitae ; quarum , ut ſupra vidimus adlato Plutarchi teſtimonio , (4) quaelibet muſicum inſtrumentum praeferebat . Dianae quoque comites additas perſpicue declarat inſigne hoc monumentum . Hinc & hinc duo viſuntur copiae cornua fructibus , & floribus referta , quorum unum Soli , alterum Lunae in ſuperiore loculamento ſculptis tribuitur ; ad indicandam , ut Mythographis viſum eſt , in terras eorum beneficentiam , & vim rerum omnium procreatricem : nam cornu omnium frugum copia dives felicitatis , rerumque omnium adfluentiae ſymbolum eſt ; quod dextra manu praefert & ipſe Sol quagriiugo curru vectus , ut vidimus in gemma elegantiſſima regii Medicei Cimeliarchii . (5) In honorem Dianae circumferri ſolita caniſtra frugum a maturis viro virginibus notant veteres Theocriti Enarratores . (6) In nummis Epheſiorum hac ipſa, ut arbitror, de cauſa ſculptae apes , & formicae viſuntur , ut Lunae beneficentiam in commodum humani generis declararent . Nec dubito Dianae convenire etiam poſſe cognomina FRVCTIFERAE , & FRVGIFERAE , quae Iſidi tribuuntur ; (7) quum Iſis , & Diana , ut diximus , unum idemque numen creditum fuerit . Opum , quae maxi-

(1) Vide De Col. Traiani Cap. VI. pag. 174. & Differt. de Aquis , & Aquaeductib. ante num. 189.
(2) In Corinthiacis Cap. XVII.
(3) In Boeoticis Cap. XXXV.
(4) Pag. 14. & 15.
(5) In Vol. I. Muſei Florent. Tab. LXXXVIIII. n. 1.
(6) Idyll. Z. v. 66.
(7) Vide Fabrettum Inſcr. ant. Cap. VI. n. 114. Gruterum p. LXXXIII. 10. Plutarchum de Iſide , & Oſiride , item Reineſium in Synt. Inſcr. ant. Cl. I. n. 137.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0164
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

maxime terrae frugibus parantur, qui maiori ſpe, & deſiderio flagrabant, decimas eidem Deae vovere, ac perſolvere conſueverunt, ut auctor eſt Xenophon in Cyro. (1)

In tertio ſegmento, quemadmodum & in tribus aliis ſimulacris a Menetreio adlatis, ſculpta eſt Nympha marina hirco inſidens, per mare vecta cum velo ad auras expanſo ſupra caput, quam delphinus comitatur. Haec una ex ſexcentis illis eſſe poteſt, quas Callimachus (2) ἀμορβὰς, Apollonius vero (3) ἀμορβάδες appellat, Dianae *comites*, ſeu *pediſequas*. Verum nihil etiam repugnat ſi quis Dianam ipſam Marinam per mare hirco vectam exhiberi putet: quemadmodum enim veteres Poëtae Apollinem, ſive Solem per mare vehi quadriiugo curru putarunt; ita quoque Dianam, ſive Lunam biga ferri per aequora, eamdemque Oceano demergi, & ex eo denuo prodire commenti ſunt. Valerius Flaccus de Diana cecinit: (4)

Diva ſoporiferas quae nunc trahis aequore bigas.

Id ſatis mihi ſit adnotaſſe; qui plura ac lautiora cupit, adeat doctiſſimum Ezechielem Spanhemium, qui de Diana Marina ſaepius diſſerit in Obſervationibus ad Callimachum. (5)

In poſtremo ſegmento tres Genii Dianae Ἀγροτέρας comites, ſeu famuli ſculpti ſunt: quorum medius arcum, alter a dextris iaculum, alter vero a ſiniſtris pharetram tenet. In ſimulacro eiuſdem Dianae Epheſiae in lucem edito a Cl. Menetreio ex Cimeliotheca Leonardi Auguſtinii, iidem Genii corollam manu praeferunt; quam etiam oſtentat Diana Pergaea in nummo, quem exhibet magnus Spanhemius in Obſervationibus in Callimachum; (6) in quo etiam lauream coronam capite gerit non ſecus ac elegantiſſima, & rariſſima protome marmorea eiuſdem Dianae, quae apud me exſtat. Singulis Diis Deabuſque Genios comites ac famulos adſignaſſe veteres non ſemel adnotavimus. Martianus Cappella memorat Genium Iunonis *Soſpitae*; (7) quod cognomen tributum quoque Dianae nemo eſt qui ignoret. (8) Neque vero horum puerorum ſpecie, qui etiam alati finguntur in aliis Dianae Epheſiae ſimulacris, repraeſentari putem

(1) Lib. I.
(2) In eius Hymno v. 45. Vide etiam v. 13. 39. 259.
(3) Lib. III. v. 880.
(4) Argonautic. Lib. II. v. 295.
(5) Verſ. 39. 141. in Hymno in Dianam.
(6) In Hymnum in Dianam pag. 256.
(7) Lib. I. Vide Gisb. Cuperum in Monum. ant. pag. 242. & 243.
(8) In Orphicis Hymno I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0165
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tem *Cupidinem*, eiuſque ſocios *Appetitum*, vel *Deſiderium;* nam omnes Deos ſuperare Cupidinem in elegantiſſimo Dialogo Veneris, & Cupidinis oſtendit Lucianus, non tamen Minervam, Muſas, & Dianam, quod ſtudiis, & laboribus vacent, nec umquam otio, & deſidia animum inficiant.

Demum Diana Epheſia apertis manibus atque extentis brachiis exhibetur, ritu ab iis qui vota, & ſacra faciunt adhibito; ut cultoribus obſequentem, & propitiam, atque ut legitur in antiquo lapide, ΕΠΗΚΟΟΝ vota exaudientem ſe ſe oſtendat. In gemmis, & in nummis ſculpta eſt verubus, ac fulcris innixa; qui quum dentur etiam Iovi Labradeo in nummis Mylaſeorum apud Patinum, (1) non tantum ſuſtinendi corporis gratia, ſed augendae maieſtatis eius cauſa data videntur.

TABVLA XXI.

ENDYMION.

RAra admodum, nedum ſingularis eſt haec ENDYMIONIS Statua, pereleganti artificio ſculpta, quae nunc primum in lucem prodit. De Endymione multa priſcae gentes fabulatae ſunt, quae Natalis Comes inſignis Mythologus diligenter exponit. (2) Qui rem magis hiſtorice explicant, ferunt Endymionem a Luna adamatum fuiſſe: nam quum interdiu dormiret, per noctem feras ad Lunae lumen venabatur: quam opinionem ſecutus eſt, ut videtur, Statuarius noſter; nam Endymionem eo ſtatu corporis ita expreſſit, ut per ſilentia noctis humeris inclinatis conſiſtens ferarum omnem ſtrepitum, vel leviores omnes motus vacua aure ſtudioſius excipiat, Lunamque in caelo lucentem interim conſpiciat. Venaticum canem intra genua continet, ne latratu ſuo feras excitet, adeoque in fugam vertat. Hunc demum omnium primum Lunae motum, variaſque

(1) In Theſauro Numiſm. Mauroceno p. 77.

(2) Mytholog. Lib. III. Cap. XVII., & Lib. IV. Cap. VIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0166
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

riaſque luminis formas, & mutationes mortalibus; (1) qui quum noctu his conſiderationibus ſedulo vacaret, ſomno non fruebatur, at dormiebat per diem: quare dicunt in Latmo monte Cariae a Luna conſopitum fuiſſe, ut eum dormientem oſcularetur. (2)

TABVLA XXII. XXIII.

AESCVLAPIVS.

CVm AESCVLAPIO Medicinae parente ab inſigni artifice ſimul ſculptam fuiſſe pulcherrimo ſymplegmate vel eius uxorem EPIONEN, (3) vel potius HYGIAM eius filiam, ſaluti hominum ut putarunt praeſidem Deam, ex eo perſpicue deducimus, quia poſt humerum eiuſdem Aeſculapii ſuperſunt digitorum fragmenta, quae indicant eum cum alia Statua in eadem baſi coniunctum fuiſſe, quae manu dextera eum complecteretur. Aeſculapium cum Hygia ſculpſere artifices praeſtantiſſimi Scopas, Straton, & Niceratus; cuius opus Romae conditum eſt in templo Concordiae, ut memorat Plinius. (4) Incognitum eſt nobis Statuarii nomen, qui hoc opus maxime nobile abſolvit; verum inter claros Graeciae opifices ſine dubio recenſendus. Caput vero eiuſdem Aeſculapii ſummo admirandoque artificio ſculptum eſt, laneo ſtroppo, ſeu corona revinctum. Dextra manu herbarum medicarum faſciculum tenet. Ferunt Aeſculapium coactum ſanare Glaucum, a ſerpente accepiſſe herbam; qua cum uſus fuiſſet, Glaucus revixit, ut docet Hyginus. (5) Pergami offerebantur Aeſculapio tamquam Medicinae auctori medicae herbae, quas e tholo, ſeu teſtudine templi ſuſpendebant. (6)

In Tabula XXIII. parvum Signum marmoreum eiuſdem AESCV-

(1) Vide Plinium Lib. II. Cap. IX. Pauſaniam Eliacorum Prior. Cap. I. Athenaeum Lib. XIII. Cap. VI. Apollodorum Biblioth. Lib. I.
(2) Ex Hygino Fab. CCLXXI. Platone in Phaedone, Cicerone Tuſculanar. Apollonio Argonautic. Lib. IV.
(3) Vide Pauſaniam in Corinthiac. Cap. XXIX.
(4) Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(5) Poëtic. Aſtronom. Lib. II.
(6) Vide Statium Silvarum Lib. I. eiuſque enarratorem Gevartium pag. mihi 150.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0167
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

AESCVLAPII exhibetur, operis elegantia, & opificio ſpectandum. Caput lanea intorta corona revinctum eſt, e qua poſt humeros pendent vittae. Pedes non nudi, ſed calceamentis pulcherrimis ornati ſunt. De ſerpente, cui idem Aeſculapius cibum praebet, nihil dicam; nam reſtitutus eſt ab artifice non antiquo, & quidem inepte, quum in ſexcentis ſculpturis ſola Hygia e vaſe eſcario cibum ei porrigens repraeſentetur; Aeſculapius vero ſemper bacillum tenet, cui idem ſerpens adrepit, uti ab Hygino deſcribitur.

De parvis hiſce Deorum Dearumque ſimulacris libet opinionem meam breviter exponere, a viris doctis forſitan haud improbandam. Quamvis facile credam ea in domeſticis Lararіis condi, vel in ornamentum Bibliothecarum, & Muſeorum dedicari ſolita; tamen nihil etiam repugnat ſi dicamus interdum aliis Diis vel voti cauſa, vel pro gratiarum actione dedicari conſueviſſe. De hoc veterum inſtituto non pauca attuli exempla in Notis ad Inſcriptiones Donianas nuper a me editas, quas vide in Claſſe I. n. 91. pag. 28. Vnicum teſtimonium ſubiicere libet ex hoc antiquo lapide ibidem vulgato; ex quo diſcimus aereum SOMNI ſimulacrum donatum fuiſſe Aeſculapio a Valerio Symphoro & a Prote; ne quid dicam de ceteris donariis voto ſuſcepto ab iiſdem dedicatis, ob inſignem circa ſe numinis eius effectum. En igitur antiquus lapis, qui Reiis in Gallia exſtat.

DEO . AESCVLAPIO
VAL . SYMPHORVS . ET . PROTIS
SIGNVM . SOMNI . AEREVM
TORQVEM AVREVM EX
DRACVNCVLIS DVOBVS . P . CL
ENCHIRIDIVM . ARGENTI
P . CCCL ANABOLIVM OB
INSIGNEM CIRCA SE NVMINIS
EIVS EFFECTVM
V . S . L . M .

Re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0168
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Recte vero Somni ſimulacrum conſecratur Aeſculapio, quia per ſomnia capta in eius templo, atque ex eiuſdem Dei apparitionibus morbi ſanari putabantur. In manibus etiam eorumdem Deorum, quibus dedicata erant, haec parva ſigna ponebantur; quae etiam interdum Sacerdotes ferebant ad templum, & poſt ſacrificia domum reportabant, eaque ſervabant, ut docet Pauſanias. (1) Honoris cauſa in tenſis, & in carpentis vehebantur, vel deferebantur in Circenſibus ludis, & in pompis, atque in triumphis ante triumphantium Imperatorum currus, (2) vel etiam in conviviis ſuper menſas quaſi eorum Genii & tutelae ſtatuebantur. Satis notum eſt Herculis *Epitrapezii* pedale ſigillum, quod praeter varias aeriſque eboriſque vetuſti ſpecies, Vindex huiuſmodi deliciarum intelligentiſſimus, in menſa exponere ſolebat, ut convivarum oculos artificii maieſtate, atque elegantia, (nam Lyſippi opus fuit abſolutiſſimum) detineret; quod fuſe ἀυτόπτης depingit Statius Papinius, (3) & Martialis. (4)

TABVLA XXIIII. XXV.

HYGIA.

HYGIAM ſanitatis Deam ſumma veneratione proſecuti ſunt Graeci, & Romani, ut fidem faciunt templa, ſimulacra, & arae titulis inſcriptae, eidemque dedicatae, quae frequenter apud veteres Scriptores memorantur. Vna cum Aeſculapio conſecratur, eique item datus ſerpens, quem nutrit; quod humana natura, quemadmodum ſerpentes quotannis ſenium exuunt, infirmitate depoſita, vires cibo recipiat, ac revireſcat.

Primum ſimulacrum Deae Salutis expreſſum in Tab. XXIIII. non ſatis elegans eſt; alterum vero bipedale exhibitum in Tabula XXV. multo artificio atque elegantia ſculptum cenſetur.

(1) In Achaicis Cap. XXIV.
(2) Vide Athenaeum Deipnoſ. Lib. V. Cap. VII.
(3) Lib. IV. Silvarum.
(4) Lib. IX. Epigram. 43.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0169
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXVI. XXVII. XXVIII.

VENVS ANADYOMENE

VVLGATO COGNOMINE MEDICEA.

STatuarum omnium, quae hodie toto terrarum orbe exſtant, en praeclarum illud ac ſingulare portentum, omnium elegantiarum artis compendium VENVS DEA, quam Graeci Ἀναδυομένην & Πόντιαν, vel etiam Πελάγιαν dixere, quod e mari ortum habuerit; e quo emergentem blandus Amor excepit, Nereides Nymphae ei adſtitere, plaudenteque inter Tritonum choros Neptuno, Suada coronam detulit, uti a Pauſania deſcribitur inſigni opere anaglypho expreſſa in ſolio Iovis Olympici. (1) Nos vero vulgato iam diu cognomine VENEREM MEDICEAM appellamus, quod Mediceae Gentis Principes ſummo pretio eam ſibi compararint. Qualis vero quantaque ſit eius pulchritudo, opificium, elegantia, nulla profecto verborum vi atque copia, nullis eloquentiae coloribus explicari ſatis poteſt. Sculptores fama celebres, homines docti atque cum primis exteri, ad eius inenarrabilem pulchritudinem, miramque omnium partium abſolutiſſimarum conſenſionem merito obſtupeſcunt. Propter ſummam huiuſce Signi dignitatem atque praeſtantiam, triplici varioque proſpectu in tribus Tabulis delineationem eius exhibemus: verum quamvis diligentiſſime expreſſum fuerit, tamen non niſi ex archetypo ipſo ſumma eius perfectio, ſplendor, atque venuſtas dignoſci poteſt. Ea eſt non paucorum hominum opinio eius auctorem fuiſſe vel Phidiam, vel Praxitelem, vel Scopam, cuius Venus nuda, iuxta Circum Flaminium conlocata, Praxitelicam illam Gnidiam, teſte Plinio, (2) anteceſſit. Verum ſub iudice adhuc lis eſt. Neque enim ſincera & genuina eſt ea inſcriptio, quae in eius baſi ſculpta nunc viſitur litteris auro illitis: nam, ut nihil dicam de earumdem litterarum figura, quae antiquam

(1) In Eliacis Prior. Cap. XI. & alibi in Corinthiacis Cap. I. (2) Lib. XXXV. Cap. V.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0170
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

quam non redolet manum, mendum commiſſum eſt, in quod praeſtantiſſimum artificem vix credibile eſt labi potuiſſe: nam pro ΕΠΟΙΕΙ, quod in omnibus ſinceris monumentis, quae artificis nomen praeferunt, conſtanter ſcriptum eſt, in hoc inciſum legitur ΕΠΩΕΣΗΝ. & perperam quidem, ut nemo, qui Graecas litteras primoribus labris deguſtarit, ignorat. En igitur ut eadem iacet epigraphe.

ΚΛΕΟΜΕΝΗΣ ϽΑ ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΥ

ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΩΕΣΗΝ

Hac ipſa epigraphe deceptus V. C. Paulus Alexander Maffeius Eques, (1) pro ΕΠΩΕΣΗΝ ſublato mendo reſtituit ΕΠΟΙΕΙ, quum hoc celeberrimum Signum illuſtraret; neque aliquid aliud, quod fuerat notandum, animadvertens, auctorem eius fuiſſe cenſuit Cleomenem, eximium ſane Statuarium, praeclaroque nomine Athenis celebrem; quem tamen nec Plinius, nec alii ſcriptores memorant Venerem ſculpſiſſe. Inter inſignia eius opera memorantur a Plinio Theſpiades, (2) quas Aſinius Pollio, vir omnium elegantiarum vetuſti aevi ſtudioſiſſimus, in ſuo Muſeo, & Bibliotheca ſpectari voluit. Praeter haec unicum adferam non ſolum indicium, verum etiam falſitatis eiuſdem inſcriptionis argumentum, quod omnium oculis eſt manifeſtum. Ea epigraphe ſuperius adlata, inciſa eſt non in ipſa antiqua baſi, quam calcat Venus, ſed in marmore ſuperaddito eidem baſi, quod eam circumvallat; tantoque artificio ſuperadditum eſt, ut paene tota ex integro ſolidoque marmore conſtare videatur: ſed re vera, ut dixi, recens marmor, in quo inſcriptio ſculpta eſt, cum antiquo adeo compactum eſt, ut non niſi hoc ſedulo inſpicientibus appareat. Sed de his ſatis.

Ad pulcherrimum hoc Simulacrum, vel ad Gnidium illud huic omnino ſimile a Luciano deſcriptum in Amoribus, ut arbitror, reſpexit Ovidius, qui Venerem pingens, haec obſervavit:

Ipſa Venus pubem, quoties velamina ponit,
Protegitur laeva ſemireducta manu:

(1) In Libro cui titulus *Raccolta di Statue*, ec. Tab. XXVII. (2) Lib. XXXVI. Cap. V.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0171
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

quem geſtum Veneris paullo inclinatae, ac pudibundae paene omnes artifices imitati ſunt. Crines eiuſdem Veneris, ſine quibus, ut ait Apuleius, (1) *licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo ſuccincta, cinnama flagrans, & balſama rorans, placere non poſſet*, auro undequaque ſuperfuſi ſunt, atque, ut coniicere poſſumus, antiqua manu hoc ſplendore exornati: nam id cum a Graecis, tum ab Etruſcis, eorumque exemplo a Romanis factum fuiſſe non ſemel adnotavimus. Aures quoque eius, quas diligenter obſervavi, perforatae ſunt: quare facile crediderim inaures ex pretioſis gemmis, vel unionibus, maioris elegantiae ornatuſque cauſa, appenſas eis fuiſſe; quod etiam indicavit Maffeius, qui, teſte Lampridio, adnotavit Alexandrum Severum Caeſarem exornaſſe Veneris ſimulacrum pulcherrimis inauribus ex margaritis eximiae magnitudinis. Iuxta laevum Veneris pedem delphinus adſurgit, cui inſiſtunt perparvi Cupidines; in quibus oblitum ſui inſignem artificem animadvertimus, vel forte data opera eos minus diligenter fabrefeciſſe ſuſpicari poſſumus, ut ſola eximii corporis Veneris pulchritudo omnium animos admiratione compleret. Cupidinum alter EROS, alter ANTEROS eſſe cenſetur; quare ab Ovidio Venus *geminorum mater amorum* vocatur. Amorum agmen Veneri famulantium ſic feſtive deſcribit Statius, cuius carminibus has meas qualeſcumque obſervationes concludam: (2)

Alma VENVS *thalamo, pulſa modo nocte, iacebat,*
Amplexu duro Getici reſoluta mariti.
Fulcra toroſque Deae tenerum premit agmen AMORVM;
Signa petunt, quas ferre faces, quae pectora figi
Imperet, an terris ſaevire, an malit in undis;
An miſcere Deos, an adhuc vexare Tonantem.

TA-

(1) Metamorphoſ. Lib. II.

(2) Silvarum Lib. I. pag. mihi 60.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0172
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXX.

VENVS CAELESTIS.

IN ſecretiori conclavi regiae Gazae Magni Ducis Etruriae proxima loco exquiſitoque artificio Veneri *Mediceae* eſt VENVS CAELESTIS, cuius ſignum politiſſima arte perfectum eſt. CAELESTEM vocant, quia ſuperiore corporis parte nuda eſt, inferiore vero velata: praeterea capite gerit diadema, ſeu mitellam auro ſuperfuſam, minioque pictam, in qua antiquitus gemmas inſertas fuiſſe in ſiderum ſpeciem formatas, perſpicue declarant quaedam cavitates aliqua in parte radiatae, quae etiam num ſuperſunt; gemmae vero temporum iniuria intercidere. Vultu modeſtiam gravitatemque cum hilaritate coniunctam praefert. Siniſtra manu veſtem ad pedes defluentem multa arte elaboratam comprehendit; dextra vero elegantiſſima plane cubiti flexione, augente brachii pulchritudinem, ac decorem armilla, aliquid capiti ſuo ornatiſſimo aptat, vel cinnulum, vel aliquid aliud ad muliebrem mundum pertinens, niſi flammula ſit, ut aliquibus videtur. Perſimili geſtu Venus AVREA caelata eſt anaglypho opere ex Iaſpide Chalcedonio, qui exſtat inter Medicea Cimelia, quem nos vulgavimus in priori Volumine huiuſce Muſei Florentini Tabula LXXXII. n. III. nam manus admovens ori, atque capiti, ornatricibus Gratiis, quae ei famulantur, indicare videtur ornamenta, vel unguenta, vel ſtibium, quae adferant, atque e pixyde, quam ex his altera tenet, depromant, ut formam reddant pulchriorem elegantioremque; non aliter ac eam pingit Homerus, (1) eiuſque imitator Virgilius, (2) qui apud Paphum a Gratiis lotam, ambroſioque oleo perunctam elegantiſſime deſcribunt.

TA-

(1) Odyſſ. Lib. VIII. v. 360.

(2) Aeneid. Lib. I. v. 415.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0173
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXI.

VENVS VICTRIX.

VENEREM VICTRICEM declarat pomum, quod dextera manu gerit Dea, insigne praemium indiciumque eximiae suae pulchritudinis: verum quia Simulacrum hoc naturalem feminae statum excedens, anno MDCLXXVII summo artificio instauratum fuit ab Hercule Ferrata Sculptore aetatis suae praeclarissimo, qui pomum in manu eius addidit ingenio per omnia felicissimo, haec dumtaxat indicasse sufficiat. Hoc Veneris Signum illud ipsum est, de quo disserit Maffeius Eques, (1) aitque adservatum fuisse Romae in loco vulgo *Belvedere* appellato, famaque, ac praestantia insignis sculpturae creditum Phidiae opus. Nam quidquid est antiqui operis, nempe collum, humeri, pectus, corpus, tanto artificio absolutum est, ut nonnisi Sculptorem tota Graecia praecellentissimum eius auctorem adserere possimus, vel Phidiam ipsum, vel Phidiae parem. Reliquam partem corporis veterum signorum exemplo refecit instauravitque recens artifex; multum hac de re laudandus, quod imperfectum opus feliciter absolvit, & summam antiqui opificii gloriam aemulatus est: nam Apelles quum Veneris Coae caput, & summa pectoris politissima arte perfeciset, reliquam partem corporis inchoatam reliquit; quam nemo inventus est qui absolveret: oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. De operibus imperfectis artificum haec Plinius. (2) *Illud per quam rarum, ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas, sicut Irin Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, & quam diximus Venerem Apellis, in maiori admiratione esse, quam perfecta. Quippe in iis lineamenta reliqua, ipsaeque cogitationes artificum spectantur, atque in lenocinio commendationis dolor est; manus, quum id agerent, extinctae desiderantur.*

TA-

(1) Tabula XXVII.

(2) Lib. XXXV. Cap, XI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0174
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXII.

VENVS GENETRIX.

VENEREM puerulum AMOREM gremio foventem GENETRICEM appellamus, auctoritate antiquorum numiſmatum, (1) quos Romani in honorem Auguſtarum Feminarum percuſſerunt; in quibus Venus ſculpta cum Amore, GENETRIX inſcribitur. Igitur Dea ſedens cum Amore, ut videtur, luſum quemdam exercet; nam arcum ei offert, oblatumque mox ioco quodam ſubtrahit: Amor vero niſu corporis erigere ſe ſe, atque illum arripere magnopere ſtudet, atque ſi vires patiantur, feſtive etiam conatur: qui geſtus ſtatuſque corporis cum Veneris tum Amoris quanto ſtudio, atque elegantia expreſſus ſit ab egregio Sculptore, nemo non videt. In Gemma elegantiſſima Medicei Theſauri Venus ſinu ſuo fovet Amorem, ultro vero mox proſilire cupientem cohibet. In pluribus quoque Gemmis arcum, & iacula eidem donat: quibus ſymbolis veteres artifices ſignificare voluiſſe cenſentur, Amorem ſuas vires ſuamque potentiam a Venere Genetrice auſpicari, eidemque acceptam referre. Idem non raro veteres Poëtae exprimere ſoliti; ita vero prae omnibus mirifice Lucretius initio ſui libri, in quo Venerem invocat, & commendat: (2)

——— Ita capta lepore
Illecebriſque tuis omnis natura animantum
Te ſequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluvioſque rapaceis
Frondiferaſque domos avium, campoſque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim ſaecla propagent.

TA-

(1) V. Mediobarbum in Anniae Fauſtinae nummis, &c.

(2) Lib. I. de Rerum nat. v. 15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0175
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXIII.

VENVS SPINAM E PEDE SVO EDVCENS.

ADonidem paſtorem ſimul & venatorem forma corporis eximium ab infantia valde amavit VENVS deperivitque; quem tamen nimio feras inſequendi ſtudio abreptum, numquam a venandi flagrantiſſima cupiditate dimovere potuit; quare invidia Martis, ut fabulantur, immiſſo in formoſiſſimum iuvenem apro, quum Venus de eius internecione ſollicita, opem ferre properaret, pedem ἀσάνδαλον a ſpina roſae vulneratum ſenſit; cuius ſanguis flori prius candido purpureum colorem donavit, qui poſtea eidem Deae ſacer fuit, ut docet Theocritus, & Anacreon in eius laudem effuſus. (1) Rariſſimo inter vetuſta monumenta exemplo ſculpſit Artifex praeſtantiſſimus VENEREM ſedentem, atque e pede ſuo ſpinam educentem; quod quidem Signum tanta artis gloria, tanto elegantiae abſolutiſſimique opificii ſplendore perfectum eſt, ut nonniſi ſumma cum voluptate & admiratione ſpectari poſſit. Veſte vero, quae reliquam corporis partem tegit tam eleganti concinnaque diſpoſitione, quae ab uſitato ſculptorum ſtilo recedit, neque tam elaborata nec tam exili, ſed ad veritatem magnifice compoſita, quid pulchrius, quid dignius? Sed inſignia veterum Graecorum artificum opera ex ipſo archetypo ſatius eſt contemplari.

TA-

(1) Vide Theocritum in Idyll. XXIII. quod Adonidis epitaphium inſcribitur. Ovidium Metamorphoſ. Lib. X. Fab. XIII. v. 708. &c. Natalem Comitem Mytholog. Lib. V. Cap. XVI. Caelium Rhodiginum Lectionum antiquar. Lib. XXVII. Cap. XXVI. Venerem e pede ſuo ſpinam evellentem deſcribit etiam, ni fallor, Aphtonius in Progymnaſmatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0176
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXIIII.

VENVS AVREA.

VENERIS hoc Simulacrum, naturalem feminae ſtatum altitudine ſupergrediens, perelegans eſt multoque opificio elaboratum, paene ad exemplum Veneris *Mediceae*, quam paullo ſuperius adſpeximus. Iuxta poſita eſt urna unguentaria linteo circumtecta, quae indicio eſt eam munditiei parandae, formaeque exornandae ſtudio balnea ingreſſam fuiſſe, in quibus Charites, ut diximus, κομμωτρίαι, & ἀλείπτριαι fuere. Eodem modo iuxta Charitum ſimulacra in elegantiſſimo Sarcophago marmoreo obſervavimus (1) veteres adpoſuiſſe guttos, ſive alabaſtra cum linteis, quod eaedem Deae omnis pulchritudinis & elegantiae cultrices ſint, & Venerem laverint, unxerint, atque exornarint; atque ob hanc cauſam earum in manibus Venereum ceſtum dedere. Veneri quoque Cupidines ornatoria vaſa interdum miniſtrant, ac praecipue armillas, ſpeculum, & phialas unguentarias, quemadmodum ex antiquis ſculpturis obſervavimus. (2) Nymphas quoque ad augendum Veneris cultum dona contuliſſe ex antiquis ſignis, ac picturis obſervat Philoſtratus; (3) nempe fibulas aureas, inaurata ſandalia, κάτοπτρον τὸ ἀργυροῦν argenteum ſpeculum, ad quod eam bis diſponere comas ſolitam canit Callimachus in Hymno in lavacrum Palladis; quod tamen ſpeculum ex lucido aere fabricatum fuiſſe declarat, nam διαυγέα χαλκὸν appellat. Hoc ſpeculum in antiquo lapide VENEREVM (4) vocatur, quia eidem Veneri dicatum eſt, eaque de cauſa eiuſdem Deae inſignis nota apud Aſtronomos. Praeter alia dona, quae voti cauſa Veneri offerri ſolebant, in antiquo lapide, quem illuſtrat Iacobus Philippus Tomaſinus, (5) phiala, tabula argentea, tiara, anulus aureus cum gemma meliore enumerantur.

(1) In Deſcriptione Monumenti, ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum Tab. VI. pag. 11.
(2) Vide in Vol. II. Muſei Flor. Tab. XLI. n. III. pag. 92.
(3) Lib. I. Iconum in clauſula ΕΡΩΤΕΣ.
(4) Vide Gruterum p. V. 6.
(5) De Donariis Cap. VI. Vota amatoria enumerans.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0177
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXV.

VENVS AMPHITRITE.

DOminam maris, ex eoque ortam VENEREM veteres Theologi commenti ſunt, quod animantium omnium generationi praeſit: nam antiquiſſima fuit primum Homeri, deinde Thaletis, aliorumque vetuſtiſſimorum Philoſophorum opinio, ex aqua omnia gigni. Concham manu dextera tenet eadem VENVS, ut e mari ortum ſe habuiſſe deſignet; quam tamen ab recenti artifice additam, itemque urnam balneariam omnes clariſſime intelligunt. Hac vero ſpecie pictam Venerem ab antiquis docet Albricius de Deorum imaginibus. *Pingebatur Venus in manu ſua dextera concham marinam tenens atque geſtans*. Hoc Veneris Signum a Statuario non ſatis docto ſculptum eſt.

TABVLA XXXVI.

VENVS MARTEM VINCENS.

TRuculentum Bellatorem MARTEM validiſſimis armis inſtructum, a VENERE nuda, & ſine ceſto victum, blanditiis illecebriſque pellectum fuiſſe veteres Mythologi tradidere. Quamvis obvia ſint T. Lucretii carmina, (1) quibus Venerem canit vel ſolo oculorum obtutu ferum Martem irretiſſe; tamen quia hoc perelegantis ſymplegmatis opus valde illuſtrant, haud praetermittenda eſſe cenſui, immo ſubiicienda, ut carminum pictu-

(1) Lib. I. De rerum natura v. 32.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0178
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

pictura cum hac ſculptura conferri poſſit . Ita igitur ait effuſus in laudes Veneris :

Nam tu ſola potes tranquilla pace iuvare
Mortales , quoniam belli fera munera MAVORS
Armipotens regit : in gremium qui ſaepe tuum ſe
Reiicit , aeterno devictus vulnere amoris ;
Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſta
Paſcit amore avidos inhians in te , DEA , *viſus ,*
Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore .

Veneris habitu expreſſam aliqui putant Fauſtinam , quae maritum M. Aurelium Imperatorem , Martis ſpecie repraeſentatum , ad bella cum barbaris nationibus gerenda properantem , muliebribus delinimentis moratur ; a quibus non valde repugnant earumdem ſtatuarum effigies . Horum opinionem confirmant numiſmata Senatuſconſulto in honorem Fauſtinae percuſſa , quorum typus eſt Venus Martem vincens , ac demulcens , cum epigraphe VENERI VICTRICI . Nonnulli vero exiſtimant in Marte Cn. Marcium Coriolanum , in Venere Veturiam eius matrem , ſive Volumniam eius uxorem poſteris hoc celebri Signo commendatas fuiſſe : nam quum nullis conditionibus Romani cives eum mitigare potuiſſent , matris lacrymis delinitus , pacem urbi obſeſſae retulit , inquiens : *Expugnaſti , & viciſti iram meam , patria , precibus huius admotis ; cuius utero te , quamvis merito mihi inviſam , dono* . (1) Verum altera opinio mihi magis placet ; nam Veneris , & Martis vultus cum Fauſtina & M. Aurelio Caeſare magis convenire videntur .

(1) Ex Val. Maximo Lib. V. Cap. IV. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0179
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XXXVII.

MARS PROPVGNATOR.

EXimiae raritatis notas omnes praefert hoc MARTIS insigne Simulacrum, paene ad colosseum canonem accedens. Ex basalte peregrino marmore, naturaque sua durissimo, quod Aegyptii in Aethiopia invenere, ut docet Plinius, (1) exsciſum est a Statuario longe praestantissimo, quem nomen suum in eo inscribere oportebat; nam scalpro per omnia membra felicissimo, in vultu feritatem ardoremque bellandi blanda maiestate temperavit, vigorem motumque cunctis artubus indidit; brachio hastam vibranti (nunc vero fractum gladium tenenti) tantam vim tribuit, ut naturam arte superare voluisse facile dixeris. Caput eius pereleganti galea cristata ornatum est; clypeum siniſtra tenet, fulgente in omnibus corporis partibus eximio absolutissimoque artificio, quod vix satis pro eiusdem operis dignitate commendari potest.

TABVLA XXXVIII. XXXVIIII.

MERCVRIVS.

MERCVRII magni Iovis & Deorum Interpretis perinsigne hoc Simulacrum tanto ac tam exquisito opificio a Graeco Artifice sculptum est, ut statuarii, ac pictores nostri tamquam artis absolutissimum exemplar observent, summaque cum admiratione & voluptate omnes contemplentur. Eo statu corporis trunco innixus, ita expressus est, ut fessus quiescere

(1) Lib. XXXVI. Cap. VII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0180
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

ſcere quodammodo videatur, atque in ea quiete aliquid meditari, ut ſatis muneri ſuo facere poſſit. Dextera manu caduceum antiquitus praetuliſſe cenſeo, quod periit; ſiniſtra vero volumen: nam omnium inventorem artium, & Philoſophiae, Eloquentiae, Geometriae, Muſicae, Palaeſtrae, Mercaturae auctorem & parentem veteres prodiderunt; vel etiam, ut alibi adnotavimus, (1) volumen ei adſignarunt non ſolum tamquam Deo Λογίῳ, (2) verum etiam Ψυχαπόμπῳ, vel Ταμίᾳ τῶν ψυχῶν *animarum Ductori*, ſive *Quaeſtori*, in quo omnium hominum cum viventium, tum defunctorum nomina adnotata; quorum animas ab eo ad inferos deduci ſolitas, recitatiſque Charonti in aditu Stygiae paludis nominibus, Tiſiphonae tradi conſueviſſe antiqui Mythologi commenti ſunt. (3) E trunco, cui Mercurius innititur, pendet hedinum exuvium; nam, teſte Heſiodo, paſtorum, ac ſtabulorum praeſes habitus eſt, eiuſque tutelae greges, & armenta priſca gentium aetas dicavit, quod eius auxilio tueri, augeri, iiſdemque opes parari crederent; quapropter Εριούνιον dixere. Idem Mercurii Simulacrum in duabus Tabulis duplici proſpectu expreſſum eſt propter eius dignitatem operiſque praeſtantiam, ut accuratius antica, & poſtica pars corporis obſervetur.

TABVLA XL. XLI.

HERMAPHRODITVS.

QVae alibi rarae admodum ſunt Statuae inſignium Sculptorum antiquorum, qui e Graecia omnium artium diſciplinarumque domicilio prodierunt, quum in regio Theſauro Mediceo frequentes occurrant; vereor ne ceteris deinceps deſcribendis parum fidei mihi detur, ſaepius in admirationem probatiſſimorum ſignorum adducenti ſpectantium ac legentium animos. HERMAPHRODITI Simulacrum e Pario marmore

(1) In Vol. I. Muſei Florentini Claſſ. IV. Tab. LXVII. n. IV.
(2) Vide Lucianum in Pſeudologiſta, & Philoſtratum, & Syneſium.
(3) Conſule eumdem Lucianum in Dialogis Mortuorum; in Iove Tragoedo, in Cataplo, ſive Tyranno, & quae obſervavimus ad Tab. LXVII. Vol. I. Muſei Flor. pagg. 139. & 140.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0181
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

re nitidiſſimo expreſſum , nulla in parte mancum , aut inſtauratum , ſed totum cum lecto ipſo integrum atque perfectum , artis omnes veneres , & lenocinia continet ; quare quum in ſingulis partibus exquiſito opificio pulcherrimum , atque abſolutiſſimum , & veritati longe proximum cenſeatur , numquam ſatis laudari admirarique poſſe fatendum eſt . Celebrante Plinio (1) Polyclem eximium Statuarium , qui Hermaphroditum nobilem fecit , anceps animus haeret an hoc Signum illud ipſum cenſendum ſit ab eodem artifice laudatiſſimo confectum . Hermaphroditus , qui in duabus Gemmis Mediceae Gazae a nobis editis , deliciarum cupidus , indecoro corporis ſtatu iacet ſub arbore , cui ſomnum , ſeu quietem , & otium conciliant Cupidines , alius lyrae cantu , alius fiſtulae modulatione , alius flabello auram creans , qua corpus refrigeret , in hoc Signo expreſſus eſt ſomno indulgens , ſtrata humo , cui incubat , leonina pelle , ac ſuper pellem linteo , quod e ſiniſtro eius brachio elegantiſſime pendet , ac reliquo corpori ſubiectum diffunditur . De more antiquorum dormiendi ſuper lectos pellibus inſtratos, eruditum lectorem non moror , utpote in re ſatis obvia , ac ſatis ex Homero , Virgilio , Plutarcho, Athenaeo ceteriſque vulgata . (2) Comae capitis feminarum more pereleganter comtae ſunt , cingente eas diademate . Brachia armillis , pedes ſandaliis , ut in deſcriptis Gemmis Mediceis , non ornantur ; nam nudum corpus ſumma arte elaboratum , nullis aliis ornamentis indigere Artifici praeſtantiſſimo viſum eſt . In Tabula XL. pars corporis poſterior , in Tabula vero XLI. anterior exhibetur ; nempe idem Hermaphroditus conſpicitur , ut veteres dixere , androgynus , & mammoſus , ſpecie corporis plane ambigua , uti ab Auſonio deſcribitur ;

Mercurio genitore ſatus , genetrice Cithera ,
Nominis ut mixti ſic corporis HERMAPHRODITVS ,
Concretus ſexu , ſed non perfectus , utroque :
Ambiguae Veneris , neutro potiundus amore .

TA-

(1) Lib. XXXIV. Cap. VIII.

(2) Vide Ioannis Alſtorphii Differt. Philol. de Lectis vet. Cap. V.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0182
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XLII.

AMOR SAGITTARIVS.

GEminum AMOREM finxit antiquitas, & Plato quoque duplicem fecit (1) Οὐράνιον *Caeleſtem*, & Πάνδημον *Vulgarem*, ſeu *Popularem*. Hunc alii multiplicem eſſe commenti ſunt propter varia hominum ſtudia, & affectus, quibus vacantem frequenter exprimunt ſculpta vetuſti aevi monumenta. Alii Plebeios Cupidines e Nymphis genitos, unicum vero illum, quem *Caeleſtem* vocarunt, e Venere ortum finxerunt, quod ex Philoſtrato apertiſſime colligi poteſt. Idem teſtatur hiſce elegantiſſimis verſibus Claudianus: (2)

Mille pharetrati ludunt in margine fratres
Ore pares, aevo ſimiles, gens mollis AMORVM.
Hos Nymphae pariunt: illum VENVS *aurea ſolum*
Edidit. Ille Deos caelumque & ſidera cornu
Temperat, & ſummos dignatur figere reges;
Hi plebem feriunt. ———

Hoc perelegans Simulacrum, mediocris altitudinis, AMOREM exhibet SAGITTARIVM; nam eo ſtatu corporis ita ſculptus eſt, quaſi iaculatam iam ex arcu ſagittam ſumma ſurſum petentem aſpiciat: adeoque hoc modo expreſſus videtur vel vires ſuas quantum poſſint probans, vel ſuperos Deos iaculans, ut eos imperio ſuo ſubiiciat. Neque enim eos tantum vel ipſum Iovem ferire auſum ferunt, verum etiam Venerem matrem, a qua pharetram, arcum, & ſagittas accepit; quare de eius crudelitate, & ſaevitia ita apud Moſchum queritur: (3)

Καὶ χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον· ἔνδοθι δ' ἐντὶ
Τοὶ πικροὶ κάλαμοι, τοῖς πολλάκι κἀμὲ τιτρώσκει.

Par-

(1) Vide in Sympoſio, ſeu Convivio.
(2) De Nuptiis Honorii.
(3) Vide in *Amore Fugitivo*.

Parva pharetra olli dependet & aurea tergo ;
Sunt & amari intus calami , quibus ille protervus
Me quoque ſaepe ferit . ———————

TABVLA XLIII. XLIIII.

AMOR ET PSYCHE.

QVod ab omnibus , qui ſtudio , & cognitione priſcarum elegantiarum delectantur , in hoc nobiliſſimo AMORIS & PSYCHES ſymplegmate maxime inſigne atque admirandum cenſetur , non ſolum eſt Graeci Statuarii praecellentiſſimi , ſummaque laude celebrandi artificium prorſus ſingulare , & eximium , quo valde eminet , atque illuſtratur , verum etiam ingenium , quo rem factu difficillimam magno auſu excogitavit , ac feliciſſime abſolvit . Nam Amor & Pſyche dum mutuis amplexibus ſe ſe conſtringunt atque oſculantur , vultus eorum ita ſculpti ſunt ut fere ſe tangant ; quare miraculi inſtar habetur quod Statuarius praeſtantiſsimus vultus eorum tanta artis ſuae gloria ac ſcalpri felicitate conſummatiſſimos efficere potuerit , quum perexiguum , immo vel minimum ſpatium inter utrumque intercedat . Profecto oculis ita ſe reſpiciunt , ore ita inhiant , ut loqui , amoremque & deſiderium ſuum invicem exprimere , ipſo geſtu teſtari , motuque in marmore indito ſuaviis indulgere , arte naturam perfecte imitante , videantur .

Pſyche , animam repraeſentat , quare alis papilionis inſtructa ; nam ψυχή commune nomen eſt , cum animae , tum papilioni conveniens . Superne nuda eſt , inferne vero velata , ut originem ſuam caeleſtem , ac divinam deſignet . Amor , ſeu Cupido corpus repraeſentat , quod quum ab anima informetur , hinc a Pſyche brachiis conſtringitur ; ipſe vero eius vultum manu contrectat , alteroque brachio perblande eam amplectitur . Nuptias Pſyches , & Amoris in caelo celebratas elegantiſſime deſcribit Apuleius ; (1) qui narrat a Mercurio Pſychen arreptam , & in

(1) Metamorph. Lib. VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0184
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

& in caelum perductam; ubi hausto immortalis ambrosiae poculo cum Cupidine coniuge suo supremo in toro accubuit nuptiali cenae, cui aderant ordine pulcherrimo discumbentes ceteri Dii; quibus pocula ministrabat Liber Pater, Horae rosis, & floribus purpurabant omnia, Gratiae spargebant balsama, Musae canora carmina personabant, canente ad citharam Apolline, saltante formosa Venere, ceteris Diis plaudentibus. Amoris & Psyches amplexus quum frequenter occurrant in priscis cum Graecorum tum Romanorum monumentis, & quidem non sequioris aevi, sed longe vetustissimi, coniecturae locus factus est eius mysteria arcana, & occulta fuisse, eaque vulgo innotescere nefas creditum; nam de his silent omnes vetustioris aevi scriptores, sequioris vero pauci de iisdem differunt; inter quos hi praecipui sunt Apuleius, Fulgentius, & Aristophontes Athenaeus. (1)

TABVLA XLV. XLVI.

DEI PRAESTITIS SIGNVM

EX AERE.

EDeorum numero quem referat hoc Signum aheneum, altitudine ad iustam iuvenis aetatem expressum, meo quidem iudicio haud facile dictu est. Toto corpore hic Deus ἄγνωστος nudus est, nullumque praefert insigne, seu symbolum, quod declaret an inter Deos maiorum vel minorum gentium, vel ἐντοπίους recensendus sit. Dextero brachio manuque extensa pateram gestasse antiquitus arbitror; quo gestu praesentia numina, ut in epiphaniis apparere solebant, expressit antiquitas, quo clarius cultores intelligerent propitium esse numen, & votis obsequens; paratumque ad libationes, quae offerebantur, suscipiendas. Sinistrum brachium, & manum femori admovet. Oculi eius inanes sunt, in quibus gemmas insertas fuisse verisimile est, quae postea vel furto una cum patera fortassis

(1) Vide quae observavimus in Gemmas antiquas Vol. I. Musei Flor. Class. IV. pag. 155. 156. & ad Monumentum sive Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Augustae, & Caesarum in Praefatione pag. XXXII. XXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0185
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

taſſis aurea ſublatae fuere Dionyſii tyranni exemplo, vel temporum iniuria periere. Baſi aheneae ovalis figurae inſiſtit, cui altera baſis, ſive hypobaſis ex aere non rotunda, ſed quadrata ſubiecta eſt: haec in his Tabulis, quae duplicem eiuſdem Signi proſpectum exhibent, utpote recentis operis, praetermiſſa eſt; digna tamen, quae in lucem prodiret propter opificii dignitatem atque elegantiam, clariſſimumque artificis nomen: nam fama eſt a praeſtantiſſimo Laurentio Ghibertio Pictore, ac Sculptore Florentino, adhuc iuvene confectam fuiſſe. Solium eidem hypobaſi impoſitum in angulis ornantur capitibus arietinis; circa vero inferiorem coronidem & anaglypha in utroque baſis latere expreſſa, (quorum in dextro Cybeles Dea curru vecta cernitur, circumludentibus Satyris, qui uvarum racemos gerunt; in laevo vero vir ducens hircum ad immolandum arreptis eius cornibus, & puella ſuper ardentem tripodem vinum e vaſculo fundens, ſculpta eſt) circa tabulas in antica, & poſtica eiuſdem hypobaſis conſtructas ad epigraphen exhibendam, ſerpit pampineus encarpus egregia arte elaboratus ad ſimilitudinem foliacei ſerti, ſeu corollae, qua circumquaque exornantur aheneae valvae poſitae in maiori ac minoribus oſtiis inſignis Baſilicae Florentinae S. Ioannis, quas numquam ſatis laudare ſe poſſe aiebat Florentinus Praxiteles Michaël Angelus Bonarrotius; quod opus ad aeternitatem nominis ſui, ac patriae decus idem Laurentius Ghibertius abſolvit. Haec baſis iam dudum ab eo confecta, olim cum hoc Signo exſtabat in Muſeo Franciſci Mariae Ducis Vrbini, litteratorum hominum atque praeſtantium artificum aeſtimatoris fautoriſque maximi; cui idem Signum conſilio doctiſſimi Petri Bembi, qui in ſinum eiuſdem Principis glorioſiſſimi convolaverat, impoſitum fuiſſe ferunt; qui quum APOLLINEM referre arbitraretur, in antica eiuſdem baſis tabula, litteris ut videtur inargentatis, hanc epigraphen inſcripſit:

V T P O T V I H V C
V E N I
D E L P H I S E T
F R A T R E R E L I C
T O

In

In regium Mediceum Theſaurum poſtea una cum Signo translata eſt, quod fama BACCHVM referre ubique vulgavit; idque non pauci ex noſtris atque ex viris exteris, qui Medicei Cimeliarchii antiquitates luſtrarunt, facile credidere. Addiſonius in deſcriptione ſui Itineris, ut memorant qui eius librum, mihi incognitum, legerunt, mire torquet ingenium ſuum; nam, ut mos eſt eorum qui nimia celeritate antiqua opera contemplantur, pro DELPHIS perperam exſcripſit MVSIS, quare APOLLINIS Signum cenſuit: verum haud referre poſſe Apollinem, coma ipſa capitis, quae brevis eſt, manifeſte declarat: neque etiam BACCHVM repraeſentare adfirmabo; nam capilli eius breviſſimi ſunt, contra id quod de Apolline, & Baccho ait Tibullus, (1)

Solis aeterna eſt Phoebo Bacchoque iuventa;
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Ea igitur veriſimilior, virorumque doctorum calculo facilius adprobanda videtur opinio, hunc Deum ex eorum numero eſſe, quos Graeci Επιςάτας, Romani vero Deos *Praeſtites*, & *Praeſides* adpellarunt, de quibus Ovidius: (2)

Praeſtitibus Maiae Laribus venere Calendae,
Aram conſtitui, ſignaque parva Deûm.

Hi quoque DII TVTELARES (3) COMMVNES (4) PATERNI (5) PVBLICI (6) CONSENTES (7) item SALVTARES, & CONSERVATORES urbium vocati in antiquis aris inſcriptis: (8) praetera locorum, urbium, familiarum, exercitus GENII habiti, & tamquam ubique PRAESENTES & PROPITII magno honore culti. (9) Cum his coniungendi ſunt DII GENITALES, ita dicti quod ab iis homines geniti crederentur, iiſdemque debentur omnis generationis primordia, quorum fit mentio apud Ennium,

(1) Lib. I. Eleg. IV. v. 33.
(2) In Faſtis Lib. V.
(3) Vide Gruterianum Theſaurum pag. I. 7.
(4) Ibidem pag. III. 9.
(5) Ibidem pag. CVIII. 3. CCCXIX. 4.
(6) Ibidem CVI. 2. 3.
(7) Ibidem pag. III. 3.
(8) Ibidem LXVII. 9. XXIII. 3.
(9) Ibidem pag. XXXVII. 11. item pag. IIII. 9. 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0187
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

nium , (1) Ciceronem , (2) Servium , (3) & Auſonium (4) atque in antiquis numiſmatum inſcriptionibus . (5)

Raritas huius Simulacri , quum ſit ex aere , nulla indiget commendatione : quod adtinet ad artificii pretium , & gloriam , illud dixiſſe ſufficiat , cenſeri ab omnibus peritis abſolutiſſimum artis exemplar ; nam ſtupendo modo exprimit mirum artis conſenſum cum naturae veritate in corpore iuvenis omnium membrorum accuratiſſima ſymmetria , eximia pulchritudine , atque athletico ſucco , ac vigore inſignis .

TABVLA XLVII.

BACCHVS CVM AMPELO.

VEterum fabularum interpretes complures egregia forma , ac virtute praeditos iuvenes memorant BACCHO in deliciis fuiſſe , atque inter eos praecipue AMPELVM , cuius laudes celebrat non uno in loco Nonnus . (6) Hunc , ſupplicum more Bacchi genua complectentem , ſculptum arbitror in hoc nobili , ac pereleganti ſymplegmate . Bacchus inter haec dextera eum vel levare , vel blanditiis recreare videtur ; cuius adſpectu dum fruitur , quaſi vini oblitus haeret , procul ab ore remoto cyatho , quem ſiniſtra manu tenet . Proſumnum quoque & Acoëten valde Libero Patri caros fuiſſe , eiuſque amplexibus dignatos , alibi ex antiquis gemmarum ſculpturis obſervavimus . (7) Regio diademate caput Bacchi ornatur ; eo quod primus omnium devictis barbaris nationibus triumpharit , omniſque triumphalis pompae auctor fuerit , ut docet Macrobius . (8) Oſcilla , ſive perſonae inter uvas , & pampinos pendent ex arboris trunco ; his enim utebantur in Dionyſiacis feſtis , ut docet Virgilius ; (9)

Ver-

(1) Lib. 1. Annal.
(2) Lib. I. Tuſculan. Quaeſt. & Lib. de Oratore .
(3) In Lib. VI. Aeneid.
(4) In Periocha IV. Aeneid.
(5) Vide in nummis Sel. Criſpinae uxoris Commodi apud Oiſelium Tab. XLII. n. IV. pagg. 211. 212.
(6) Vide Homerum Iliad. Lib. A . v. 557. & Lib. Ω . v. 478. Livium Lib. XXX. Tacitum Annal. Lib. II. n. 38. &c.
(7) In Claſ. IV. Vol. I. Muſei Florent. Tab. LXXXVIII. n. VIII. pagg. 163. 164.
(8) Saturnalior. Lib. I. Cap. XIX.
(9) Georgic. Lib. II. v. 386.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0188
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Verſibus incomtis ludunt , riſuque ſoluto ;
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis ,
Et te , BACCHE , *vocant per carmina laeta , tibique*
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu .

TABVLA XLVIII.

BACCHVS CVM FAVNO.

SPectatu dignum eſt hoc duarum Statuarum ſymplegma , egregioque opificio , & venuſtate commendabile ; cuius artifex exemplo Praxitelis , qui Liberum Patrem e lapide Pario expreſſit cum Satyro adſtante , ſumma diligentia ſculpſit BACCHVM cum FAVNO , qui mutuis amplexibus ſe conſtringunt . Bacchi totum corpus nudum fecit , pedes vero cothurnis exornavit pro calciamentis ; qua in re Polycletum Argivum imitatum reor , de quo ſcribit Pauſanias . (1) Caput diademate , atque pampinea corona cum uvis cinctum , defluente in utrumque humerum coma , quam pulchrum , elegans , ac decorum eſt ! Faunus ſuſpenſa in trunco arboris fiſtula , adpoſitoque pedo , in vultu Bacchi defixus obtutu haeret , dextra gerens ſcyphum , ſive , ut antiquitus conſpiciebatur , cornu pro poculo . Pro veſte vel maculoſae tigridis , vel pantherae pellis exuvium ab humero pendet ; quae animalia Baccho ſacravit antiquitas , quia vinum ardentiſſime hauriunt , ac deſiderant .

TA-

(1) In Arcadicis Cap. VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0189
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XLVIIII.

LIBER PATER SEDENS.

PErraro ſedentem BACCHVM adſpicimus. Sedenti Baccho vel quietis, & otii cauſa, vel tamquam nimio vino gravato adſtat panthera eius comes, eidem ſacrum animal, quod vino gaudeat, ut innuit Oppianus, (1) qui illud deſcribit. Eidem pantherae non raro inequitat Bacchus cum Ariadne, ut videre licet in Gemma elegantiſſima Medicei Theſauri a nobis edita, (2) quae Carpi Scalptoris eximii nomen inſcriptum praefert. Signum elegans a peritis cenſetur.

TABVLA L.

BACCHVS LENAEVS.

VVarum racemum dextera manu exprimit, & oſtentat BACCHVS, quaſi potentiam, atque in genus humanum beneficentiam ſuam eo geſtu ſignificet. Caput eius eleganti artificio exornavit artifex, nimirum diademate, & corona pampinea, hinc inde interlucentibus uvis tamquam gemmis. Pectus nebride amictum eſt. Quod praeſto ſit & adſit vota facientibus, Romani ADSTATOREM, & CONSERVATOREM cognominarunt, ut docet haec inſcriptio inciſa in marmorea baſi, quam in ruinis Velabri invenit Leonardus Auguſtinius pridie Idus Octobris, anno MDCLVIIII. exſcriptamque a ſe miſit ad Senatorem ampliſſimum Carolum Strotium Patricium Florentinum,

(1) Lib. IV. Cynegetic.

(2) In Claſſ. I. Vol. II. Muſei Florent. Tab. VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0190
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tinum, quam inter eius ſchedas inveni in Bibliotheca Strotia. Hanc vero paullo aliter deſcripſit Iacobus Sponius, (1) & ex eo Raphaël Fabrettus. (2) Ita igitur ſe habet.

DEO . SANCTO . NVMINI
DEO . MAGNO . LIBERO
PATRI . ET . ADSTATORI
ET CONSERBATORI . H . T . COLL.
VELABRENSIVM
DOMITIVS . SECVNDVS . CVRAT.
ET . RESTAVRATOR . FRATRIB . SVIS.

TABVLA LI. LII. LIII.

BACCHVS CVM SATYRISCO.

MIchaëlis Angeli BONAROTII Sculptoris, Pictoris, & Architecti nobiliſque Poëtae Florentini, cui fama ubique vulgata *divini* cognomen donavit, inſigne LIBERI PATRIS Simulacrum quod cum antiquis praeſtantium Graecorum Romanorumque Artificum operibus coniungimus, nemo, ut arbitror, mirabitur, qui illud contemplatus fuerit: nam quum expreſſum ſit ſumma diligentia, ſummo ſtudio ac labore, vetuſtorum operum gloriam non aemulatur ſolum, verum etiam cumulatiſſime conſequitur. Legenti mihi ſumma cum voluptate Calliſtrati deſcriptionem ſtatuarum, ac precipue eam quam facit ſigni ahenei Bacchi in Cretenſi nemore poſiti, quod eximius Praxiteles fabricaverat, multa occurrerunt, quae cum hoc Signo elegantiſſimo atque admirando congruunt, & quam maxime conveniunt. Ipſo ſtatu corporis Bacchus ita ſculptus eſt ut epoto vino e cyatho, quem dextera manu tenet, cui etiam oculis, & ore inhiare quodammodo videtur, fere collabenti ſimilis, vel ebrius,

(1) In Miſcellan. Sect. II. Art. II. & III. pag. 27.

(2) Inſcr. ant. Cap. III. pag. 164. n. 297.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0191
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

ebrius, vel ebrietati proximus furore accendi videatur; tanto artis ingenio, tanta opificii induſtria ac ſolertia expreſſus eſt, ut membra ipſa moveri, & debacchari iam iam videantur. Artus omnes humeri, brachia, pectus, corpus, crura, pedes ita molliter fabrefacti cenſentur, ut ad humanum ſenſum referri poſſint, & cum carne marmor concinne conveniat. Ceterum per omnia floridus, teneritudine refertus, cupidine diffluens, in riſum totus eleganter effuſus. Caput eius pampinis redimitur, uvarumque racemis diſtinguitur elegantiſſime, qui cincinnorum nexus a fronte fuſos perbelle reprimunt. Totum corpus nudum eſt, nulla pars nebride obumbratur, ut cunctus humerorum, ac pectoris micans ſplendor decus ac vigor avidos ſpectantium oculos impleat. Poſt eum quaſi latitans ſedet in trunco, e quo hinnuli exuvium pendet, iuvenis SATYRISCVS, qui uvas, quas idem Bacchus laetitiae dator ſiniſtra manu praefert, clam cum riſu arrodit. Profecto totum hoc ſymplegma mira arte fabricatum, certat cum naturae, ac ſenſuum veritate, fallitque oculos ſpectantium, qui antiquum opus eſſe iudicant. Omnes Statuae intuentibus exhibent complures proſpectus ratione loci ubi contemplantur; ex his proſpectibus unus ſaltem occurrit minus gratus, atque, ut aiunt Pictores, interdum odioſus: in hoc vero pereximio Florentini Praxitelis Michaëlis Angeli Bonarrotii ſimulacro proſpectus omnes undequaque abſolutiſſimum atque pulcherrimum eius opus declarant, ſummaque cum voluptate ſpectandum, quos hae tres Tabulae oſtendunt.

Ex eius aeque illuſtri ac nobili familia complures egregii viri prodiere: ſummam vero huic patriae gloriam prae ceteris contulere Michaël Angelus Bonarrotius iunior appellatus, inſignis Poëta, elegantiorum Muſarum Etruſcarum delicium, & Philippus Bonarrotius Senator ampliſſimus, ſummus antiquitatis interpres, uti edita eius praecellentis ingenii, & doctrinae monumenta teſtantur; compluribus muneribus apud Magnos Duces Etruriae COSMVM III. & IOANNEM GASTONEM I. eximia prudentia, probitate, iuſtitia, integritate functus; quem nuper mors nobis eripuit, nempe VI. Idus Decembres elapſi anni MDCCXXXIII. Sepulcrum eius in Eccleſia S. Crucis, iuxta avitum familiae Sacellum honorifice conditum, ſupremo titulo pro ſingulari in eum mea benevolentia exornavi.

TA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0192
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LIIII.

BACCHVS CVM SATYRISCO.

HOc quoque Signum nobilis Sculptoris, & Architecti Florentini Iacobi TATTI, cognomento SANSOVINI, cum antiquis Graecorum, & Romanorum Statuis coniungendum eſt, quod eorum gloriam, ſtudium, atque artificium non aemuletur ſolum, verum etiam facile exaequet. Explicari vix ſatis poteſt quanta in eo ſit pulchritudo, & elegantia, quantus membrorum omnium, quae ſpectantium oculos fallunt, conſenſus eluceat. Bacchi caput hederacea corona perbelle redimitum eſt, quare *Hedereum* veteres appellarunt: vultum ita expreſſit Statuarius praeſtantiſſimus ut deguſtati vini e carcheſio, quod ſiniſtra manu tenet, atque oſtentat, dulcedinem aperte ſignificare videatur. In toto corpore gradientis ſimul, & iam iam debacchari incipientis motum quemdam cernere, grata voluptas ſpectantibus eſt. Dextera manu pingues uvarum racemos tenet, quibus puer Satyriſcus ſuper exuvium capri in honorem eiuſdem Bacchi immolati, quod vitibus ſit infenſus, ſedens, toto ore, totiſque oculis perbelle inhiare videtur. Si per omnes corporis partes hoc Signum ſpectaveris, cernes ſummum ſtudium artis cum ſumma facilitate ſcalpendi coniunctum.

Notandum heic obiter INVICTI cognomen datum non ſolum Apollini, Deo Mithrae, Dianae, Iſidi, Marti, Mercurio, Veneri, Herculi, verum etiam Libero Patri, id docente antiquo lapide in Gruteri Theſauro, (1) quod hi omnes Dii prae ceteris invicta virtute praediti crederentur.

(1) Pag. CCCLXXXII. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0193
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LV.

BACCHA SIVE LENA.

EXultantis chori Liberi Patris non ultimum decus fuere BACCHAE, quae eum pugnantem apud Indos, & cum victoria, & triumphi pompa redeuntem comitatae ſunt; aliae thyrſos iacientes, aliae capita inflectentes furore percitae, aliae ſaltantes ad numeros dithyrambicos, vel etiam ad cymbalorum & crotalorum modos, ab eximiis Statuariis gemmarumque Caelatoribus ſculptae, de quibus ſatis ſuperque diximus in Obſervationibus in Gemmas antiquas Muſei Florentini, quas in primo Volumine exhibuimus. (1) Cum his etiam coniungendae ſunt LENAE, a Bacchi cognomine, quem LENAEVM veteres dixere, appellatae, quae Dionyſiis feſtis, & vindemiis, & torcularibus eidem numini ſacris praeerant. Hoc BACCHAE, ſive LENAE Signum perelegans eſt; ipſa puella ſculpta eſt racemum uvarum praeferens, quaſi eius in vindemiis ſtudium, cura, & praeſentia declaretur; ſiniſtra vero in eum geſtum efformata eſt, ut thyrſum antiquitus geſtaſſe videatur.

TABVLA LVI.

BACCHA SEV THYAS CVM TIGRE.

COnſideranti mihi hoc nobiliſſimum Signum, ac frequenter, ut ſoleo, antiqua inſignia opera, quae in Mediceo Theſauro exſtant, ſumma cum voluptate perluſtranti, ſtatim occurrit THYAS a Virgilio deſcripta, (2) quae cum hac perbelle con-

(1) A Tab. LXXXIII. uſque ad Tab. XCIV.

(2) Lib. IV. Aeneid. v. 302.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0194
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

conferri poteſt ; nam motus in membris eius tanta ſolertia , & dexteritate inditus eſt a Statuario peritiſſimo , ut moveri , ſaltare, & bacchari quodammodo videatur ;

Qualis commotis excita ſacris
THYAS , *ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
Orgia , nocturnuſque vocat clamore Cithaeron .

Caput eidem BACCHAE non convenit ; nam Liberi Patris famulae in antiquis ſculpturis exprimuntur vel paſſis crinibus , vel capillis in elegantes tricas compoſitis , qui etiam vel hederacea , vel pampinea , corymbiferaque corona conſtringuntur . Sed notandum eſt recentis artificis manu illud huic Signo coaptatum fuiſſe , quod tamen pervenuſtum eſt . Tigris Bacchi , & Faunorum fida comes , eius lateri adheret , ſtudiumque ſuum converſo capite , quaſi eam conſpiciens , oſtendere videtur ; ſumma ſiquidem arte quaſi & ipſa furens expreſſa eſt . Haec Baccha dexteram manum ſupra caput ſublatam tenet , quaſi thyrſum iaciens ; vel etiam tympanum dextera geſtaſſe , quod pulſare ſolebant in Dionyſiis ſacris , coniicio , aliorum veterum monumentorum exemplo . (1) Nam eamdem manum poſt vehementiorem pulſationem tympani rurſum perbelle extendit , aptoque motu vibrat , ut pingit Catullus :

Plangebant alii proceris tympana palmis ,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant .

In hoc Signo praeterea obſervanda eſt veſtis , quae BACCHAE corpus , quaſi ſuccinctum velat , relicto nudo genu ; quae veſtis quum tenuiſſima ſit , miroque artificio abſoluta , reliqua membra translucentia quaſi nuda aperit , ipſumque marmor floridum carnis ſuccum egregie imitatur ; qua etiam laude inſignem fuiſſe ſcribit Calliſtratus Baccham a Scopa Graecorum artificum praeſtantiſſimo expreſſam .

(1) Vide Monumenta addita Donianis Inſcriptionibus pag. XXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0195
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LVII.

BACCHA SALTANS.

COmplura ſaltationum genera in honorem Liberi Patris inſtituta memorat Athenaeus, (1) Lucianus, (2) & Iulius Pollux, (3) quae alibi declaravimus. Praecipua vero laus fuit *Cordacis*, *Sicinnidis*, *Eumeliae*, *Teleſies*, *& Pyrrhiches*. Placidior vero fuit *Scope*, utpote ſimplicior tripudii vel ſaltationis ſpecies, in qua ſaltantes manum curvam fronti, & oculis praetendebant. Huic ſimilis alia forſitan fuit, quam haec BACCHA exprimit; qua feminae veſtem dextera manu colligentes, & ſupra caput attollentes, altera vero ad exprimendos ſaltationis motus compoſita, choreas ducere ſolebant. Huius quoque BACCHAE veſtis in ſinus egregie concinnata operis auget commendationem.

TABVLA LVIII. LVIIII.

FAVNVS.

BAcchum in Dionyſiis feſtis celebrari ſolitum hymnis, laeto clamore, cymbalorum, & tympanorum ſtrepitu, muſico lyrae, tibiarum, ac fiſtulae concentu, ſaltationibus, iocis, obſcenis dicteriis, varia corporis atque capitis iactatione inconcinna, thyrſorum iaculatione, ardentibus facibus, fuſius alibi obſervavimus. (4) Inter eius comites non ultimum tenent locum FAVNI, Dii agreſtes crediti, qui attonitos reddebant omnes, quos obvios habebant, ut canit Ovidius: (5)

Nunc

(1) Lib. XIV. Cap. VI. pag. 629.
(2) De Saltatione Tom. IV. pag. mihi 108. 109. Vide etiam in Dialogo de Gymnaſiis.
(3) Lib. IV. Cap. XV.
(4) In Vol. I. Muſei Florentini in Claſſe IIII. pagg. 171. 175.
(5) In Phaedra v. 47.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0196
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Nunc furor, ut Bacchi furiis Eleeides actae,
Quaeque ſub Idaeo tympana colle movent;
Aut quas ſemideae Dryades, FAVNIQVE *bicornes*
Numine contactas attonuere ſuo.

Graecus inſignis Statuarius, qui hoc Simulacrum ſtupenda plane arte ſculpſit, FAVNVM exhibuit eo modo Orgia Liberi Patris celebrantem, ut a maioribus proditum fuerat. Nam inclinato dorſo, paullisper erecto capite, proceris brachiis, & manibus, toto corpore ita expreſſus eſt ut geſticulari videatur. Cymbala utraque manu tenet, quae aerea erant, quaſi iam iam repulſurus ea: riſu diffluit eius vultus, oculi faberrime ſculpti; dextero pede inſiſtit crupetio, quo argutius eius plauſu concinat cymbalorum pulſationi. Iiſdem crupetiis, ſive ſcabillis utebantur non ſolum Dionyſiaci Artifices, & Orgia celebrantes, verum etiam Tibicines, & ii quoque qui Muſicae Scenicae vacabant: nam in compluribus inſcriptionibus antiquis memorantur VETERES OPERAE SCABILLARIORVM A SCENA, (1) vel etiam, ut in quibuſdam inſcriptis lapidibus legitur, SCAMILLARIORVM; (2) ita dicti quod pede pulſarent haec inſtrumenta, iiſdemque canentes quaſi ſcabellis parvis, vel ſcamnulis inſiſterent, de quibus ad Inſcriptiones Donianas diſſeruimus. (3)

Huius Statuae elegantia artificioque conſummatiſſimae duplicem proſpectum ſubiicit Tabula LVIII. & LVIIII. quo facilius membrorum admiranda compages, muſculorum vis, & conſenſus cognoſcatur. Praxitelis opus cenſet Paulus Alexander Maffeius Eques, (4) aitque fama creditum a Michaële Angelo Bonarrotio brachia inſtaurata fuiſſe, caputque repoſitum: verum unicum quod affert in rem ſuam teſtimonium deſumptum ex deſcriptione funebris pompae in honorem eiuſdem Bonarrotii, diſerte id non probat; nam ibidem fit mentio Satyri Praxitelis, non vero Fauni; hoc vero Signum non Satyrum, ſed Faunum referre in comperto eſt. Praxitelem, vel Graecum alium huic Sculptori praecellentiſsimo parem illud effinxiſſe, nemo eſt tam ἄμουσος, ut dubitet; quare honoris & dignitatis cauſa nunc in conclavi ornatiſſimo Medicei Theſauri ab omnibus non ſine magna voluptate, atque admiratione ſpectatur.

TA-

(1) Vide Fabrettum Inſcr. ant. Cap. IX. n. 40.
(2) Vide in Notis ad Donianas Inſcript. p. 323.
(3) Claſſe VIII. n. 42. pag. 323. Confer Suetonium in Vita Caligulae Cap. LIV.
(4) Tab. XXXV. pag. 38. in Opere, quod inſcribitur *Raccolta di Statue antiche, ec.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0197
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LX.

SATYRVS VINO GRAVATVS.

SATYRI ad exemplum Liberi Patris, cuius comites, & miniſtri ſunt, non raro in antiquis ſculpturis exhibentur uvas, & poculum gerentes, quo clarius oſtendant ſummum, quo flagrant, vini deſiderium, quod interdum etiam peritiſſimi artifices oculis, geſtibus, totoque ore eorum exprimere conati ſunt. In Bacchi pompa magnificentiſſima, quam Ptolemaeus Philadelphus Aegypti rex inſtituit, ut memorat Athenaeus in eius deſcriptione, (1) ſexaginta Satyri in curru uvis referto vehebantur, qui ad tibiarum concentum uvas comprimentes, vinumque exprimentes, carmina, ut in vindemiis mos erat, magna cum hilaritate & laetitia cantabant. Hunc Satyrum quaſi laetum atque exultantem vindemia ſculpſit perelegan-ter Statuarius, quare ſiniſtra uvarum racemos, dextera vero cornu pro poculo geſtantem expreſſit. Mediocris magnitudinis eſt hoc Signum.

TABVLA LXI.

PANOS DEI HERMAEVM SIGNVM.

ELegantiſſimum hoc Signum PANOS Dei Arcadiae praeſidis, *Hermaeum* appellamus, quia inferiore trunci parte quadratis Mercurii ſimulacris perſimile eſt, raritate quidem, atque opificii vetuſtate inſigne. Magnitudine ſua vix aequat Romanos quatuor pedes; quare quum facile a quovis portari

(1) Deipnoſoph. Lib. V. Cap. VIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0198
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tari poſſit, hinc coniicimus antiquitus a paſtoribus, & a ruſticis ex uno loco in alium transferri ſolitum, vel ſacrificiorum, vel tutelae cauſa agrorum, ſtabulorum, & ovilium, quibus praeeſſe putabatur. Vt id facile credam, plures Gemmae antiquae ſe ſe offerunt, iam a nobis editae in Volumine primo huiuſce Muſei Florentini, in quibus parva ſimulacra eiuſdem numinis ſub arboribus ſtatuta conſpiciuntur, vel etiam columellis impoſita, atque coram eis cum viri, tum feminae ſacrificia offerunt ad tibiarum cantum, vel etiam agrorum, & gregum primitias aliaque dona conſecrant.

Dextera mulctrale gerit, ſiniſtra capellam in humero defert. Caput eius petaſo tectum, qui etiam paſtoribus, & caprariis nec non etiam piſcatoribus tribuitur ad arcendas aëris, aeſtus, & frigoris iniurias, quemadmodum in antiquis ſculpturis obſervavimus. Chlamys in humeros reiecta, rudi nodo ante pectus ligata, ac pellis ovinae exuvium eius veſtes ſunt. Hunc Deum fiſtulae inventorem perhibent veteres fabulae, Bacchi famulorum choryphaeum, Muſicum, ſaltatorem, venatorem, & bellatorem praeſtantiſſimum, eidem numini apprime carum, cui adverſus Indos pugnanti opem ſtrenue tulit; cuius etiam vultus maioris cultus gratia minio pingi ſolebat.

TABVLA LXII.

FLORA.

FLORA e numero illorum Deorum eſt, quos Romani in Vrbis ſuae primordiis a Sabinis accepere, cui Pompilius Numa honoris cauſa Flamines dedit, *Florales* dictos, ut docet Varro, (1) qui etiam in hanc rem adfert Ennii auctoritatem. Minucius Felix, (2) Lactantiuſque (3) FLORAM inter propudioſa gentilitatis numina collocant: quam infamiam diluit Ouzelius ad Minucium, (4) qui omnia prompſit ex Voſſio de Ido-

(1) Lib. IV. de L. L.
(2) Cap. XXV.
(3) De falſa Religione Lib. I. Cap. XX.
(4) Pag. 233.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0199
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Idololatriae origine, & progreſſu. (1) In Sabinis primum Floram coli coeptam egregie oſtendit Raphaël Fabrettus auctoritate aheneae huiuſce lamellae, quae ſua tempeſtate in agro Sabino eruta fuit.

FLORAE
TI PLAVTIVS DROSVS
MAG II
V. S. L. M.

Caput eiuſdem Deae expreſſum in nummo C. Servilii qui primus *Floralia* fecit, corona laurea & floribus redimitum eſt, eiuſque aures inauribus exornatae. *Florum Mater* dicitur ab Ovidio, (2) & Lib. IV. Faſtorum

Mille venit variis florum Dea nexa coronis,

Cum nummis, & Ovidiana deſcriptione convenit hoc Signum artificio, & elegantia conſummatiſſimum; de quo illud praedicari poteſt quod antiquus Poëta cecinit in laudem pulcherrimi ſimulacri Minervae *Opificis*, (3)

Χερσί σε ταῖς ἰδίαις ἐξεπόνησε Χάρις,
Te manibus propriis Gratia compoſuit.

Flores, quibus praeeſt, manibus praefert. Memorat Plinius (4) complura opera Praxitelis, quae Romae inſignia fuere, atque ea inter Floram, quae in hortis Servilianis ſpectabatur. Ad eius exemplum hoc Simulacrum fortaſſe ſculptum fuit a Statuario egregio, & ut docet operis elegantia, ac nitor, ex eius ſchola.

TA-

(1) Lib. I. Cap. XII.
(2) Faſtorum Lib. V.
(3) In Anthol. Lib. VI. Cap. VIII. n. 13.
(4) Lib. XXXVI. Cap. V.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0200
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LXIII.

POMONA.

ELegantiſſimum hoc Simulacrum nunc primum prodit, quod veteres POMONAE Deae, hortorum pomorumque praeſidi, atque ut ait Varro, (1) patronae, dedicarunt. Caput eius floribus & frondibus exornatum eſt. Poma in ſinu veſtis collecta oſtentat; motu ipſo pedum gradiri videtur. Veſtis vento diffluens ita criſpatur ut venuſtati operis ſplendorem, & decus perbelle adiiciat. Hanc inter Hamadryades Nymphas primam deſcribit Ovidius. (2) Magno in honore habita eſt a Romanis, apud quos a P. Victore memoratur in Regione VII Via Lata VICVS POMONAE; neque etiam dubito aedem valde celebrem habuiſſe, quemadmodum Salerni habuit, cuius fit mentio in antiquo lapide penes Gruterum. (3)

TABVLA LXIIII.

HERCVLES CENTAVRVM PROSTERNENS.

MAxime vellem admirationi inſignis operis huius marmorei Symplegmatis, quod nunc primum in lucem profero, parem reſpondere laudem; quae quidem ſumma eſſe debet, quum plane ſummum ſit eximii Sculptoris artificium, conſummatiſſima omnium partium conſenſio, raritas denique tanta ut aliud opus HERCVLEM ſolis viribus ſuis, ſine clava, aut ſagittis (4) proſternentem CENTAVRVM exhibens,

(1) Lib. VI. de L. L.
(2) Lib. XIV. Metamorph. v. 622.
(3) Pag. XCIV. 11.

(4) Vide Pauſaniam in Eliacis Prior. Cap. XIX. & Apollodorum in Biblioth. Lib. II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0201
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

nec Pauſanias, nec Plinius aliique ſcriptores deſcribant. Igitur ſpectandus eſt Hercules, qui unico virium ſuarum fretus auxilio, detorto Centauri, qui forte vel Agrius vel Anchius fuit ceterorum princeps, dextero brachio poſt tergum, eodemque comprehenſo ſiniſtra manu & brachio ſuo, e quo leoninum exuvium perbelle dependet, invicta dextera caput eiuſdem Centauri reluctantis demittere, & in terram proſternere conatur; quo quidem in niſu emicantibus toto corpore athletico ſucco, & vigore pleno lacertis, iam ſe ſe victoriae ſuae ſecurum perſpicue oſtendit. Caput eiuſdem Herculis victoris diademate revinctum eſt. Centaurus contra paene iam victum ſe ſentiens (nam viribus ſuis fatiſcens, atque in terram quaſi iam procumbens ſculptus eſt) ſiniſtro brachio ſupra caput ſublato, compreſſiſque manus digitis, ore ſemihianti, corrugata fronte, dolorem ſuum cum rabie, & fremitu mixtum exprimere videtur.

In toto quoque corpore eiuſdem Centauri, in vultu, in toroſo pectore, in brachiis, in cruribus quantum emicat praeſtantiſſimi Sculptoris opificium, quantum ſtudium, quanta induſtria atque ſolertia! In vultu Herculis quanta cum arte expreſſa feritas, ac terribilis oculorum obtutus cum iucunda voluptate certae iam victoriae conmixtus! Spectantium ſtudia, & laudes impleſſet Artifex ſi in baſi, quod faciendum fuerat, nomen ſuum, poſteritati conſulens, incidiſſet.

TABVLA LXV. LXVI.

HERCVLES LEONEM SVFFOCANS.

DVos leones ab HERCVLE interfectos memorant veteres Mythographi; alter fuit Cithaeroneus, quem Amphitryonis ac Theſpii boves, & armenta immani impetu diſſipantem, annum agens decimumoctavum interfecit, quae aerumnarum omnium prima recenſetur ab Apollodoro; (1) alter vero Ne-

(1) Bibliothecae Lib. II.

Nemeaeus, quem in Nemeaea ſilva reperit, ſagittiſque primum impetivit; verum ut cognovit nullis vulneribus poſſe occidi, protenta clava terribilem belluam inſecutus eſt; quae quum in ſpelaeum anceps confugiſſet, eius alterum oſtium obſtruxit, ac per alterum irrupit in feram, & iniectis collo manibus eo uſque conſtrictam tenuit, donec eam ſuffocavit, impoſitamque humeris Mycenas ad Euryſteum regem deportavit, qui eius pellem ſibi adferri iuſſerat, uti narrat idem Apollodorus. (1)

Celeberrimum hoc Herculis facinus, & maxime glorioſum, mira arte expreſſum exhibet hoc Signum marmoreum, quod tanta Statuarii gloria tamque eximio radiat opificio, ut ſpectantium oculos in admirationem merito rapiat. In ipſo vultu Herculis nemo eſt qui invictiſſimi herois virtutem cum blanda ſaevitia, & torvitate coniunctam mirifice expreſſam non videat. In reliquo toroſo corpore quanta virium magnitudo, quale quantumque robur non eniteſcit? Leo ipſe totis viribus cum Hercule pugnans, manuſque eius a collo ſuo, atque a faucibus avertere contendens, ita maximo ſtudio, ac labore ſculptus eſt, ut iam iam licet victus ac ſuffocatus terrorem incutere videatur: quare propter eiuſdem operis praecellentiſſimi dignitatem duplici proſpectu expreſſus eſt in Tabula LV. & LVI. ut virorum cum doctorum, tum ſtatuariae peritorum curioſitati fieret ſatis.

TABVLA LXVII. LXVIII.

HERCVLES POMA HESPERIDVM GERENS.

POma, quae HERCVLES dextera manu praefert, quum tria ſint, aurea illa Heſperidum deſignant, quae Atlas attulerat; quaeque humi depoſita idem invictus heros abſtulit, dum Atlas rurſum eius dolo caelum in humeris recepit, uti memorat Apollodorus. (2) Eadem quoque Heſperidum hortorum poma abſtulit Hercules caeſo dracone pervigili, ſopitaque

(1) Ibidem.

(2) Bibliothecae Lib. II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0203
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

que ſomno una e quatuor ſororibus, quae arborem & poma obſervabat; quam fabulam eleganter expreſſam anaglypho opere in marmore nuper illuſtravimus, atque in lucem protulimus in Monumentis additis Donianis Inſcriptionibus. (1)

Herculis marmoreum Simulacrum perelegans in Tabula LXVII. expreſſum, poma praefert, quare, ut ait Heſychius, Μῆλος, & ut vertit Gyraldius, *Pomarius* appellari poteſt: alterum vero in Tabula LXVIII. poma gerit & clavam, qua uſus eſt cum ipſe ad arborem Heſperidum accederet, quemadmodum etiam ſuperius memoratum anaglyphum opus repraeſentat. Hoc vero Simulacrum non antiqui, ſed recentis operis eſſe cenſemus; verum multo ſtudio, & diligentia elaboratum. Capite lauream praefert coronam quaſi victor, & monſtrorum maximus debellator.

TABVLA LXVIIII.

APER MARMOREVS.

QVemadmodum praeſtantes arte, atque ingenio Pictores maximam ſibi gloriam peperere pingentes animalia, quorum artificium ſenſus falleret, & cum veritate ipſius naturae feliciter certaret; ita quoque Sculptores celeberrimi in iiſdem fingendis ſculpendiſve nominis ſui famam ſumma laude nobilitarunt. Magna cum admiratione praedicatur leo collapſus Lyſippi opus, leo in cavea expreſſus Praxitelis, taurus aheneus Theopropi, hydra e ferro conſtructa Tiſagorae, equi Ageladis, & Antiphanis, cicada ahenea & apis Phidiae, aſellus Polygnoti & Pyreici, aquila Leocrae, boves ex aere Phileſii, boves & equi Strongylionis, canes Leuconis, Myronis, Niciae, & Lyſippi inſignia opera; cervus Canachi, gallus gallinaceus Phidiae, piſces Poſis, (2) ne quid dicam de eximiis gemmarum Scalptoribus; nam & ipſi animalia admirando opificio in pretioſis lapillis inſculpſerunt.

Apri,

(1) Tab. VII. n. II. pag. LVIII.

(2) Horum opera deſcribit Fr. Iunius, quem vide.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0204
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Apri, qui nunc primum exhibetur e Mediceo Theſauro, ad iuſtam ferae menſuram, & magnitudinem e marmore ſculpti, non alius certe auctor fuit niſi Sculptor in Graecia praeſtantiſſimus, aeternaque nominis claritate conſpicuus: nam immenſo labore confectus cenſetur dum ſingulae partes diligenter conſiderantur. Setae ubique impexae perbelle horrent; caput, aures, oculi, os, dentes fulminei, pedum ungulae, tanto ſtudio expreſſa omnia ſunt, ut nil diligentius, nihil abſolutius effici poſſe unum ſit ſpectantium iudicium, & conſenſus. Miraculo inſtar habetur quod artifex arctiſſima per loca & valde profunda ſcalprum non inſeruerit ſolum, verum etiam ſumma felicitate in palato rugas, maxillas, linguam, fauces abſolverit, maximoque artificio etiam partes illas, quae niſi quis ad eas accedat, & diligenter inveſtiget, non tam perſpicuae ſunt, elaboraverit.

Huius operis eximium decus, & raritatem admiratus FERDINANDVS II. Magnus Dux Etruriae, ex eodem archetypo alium Aprum ex aere conflari iuſſit, quem abſolvit Petrus Tacca egregius Statuarius, eumdemque in ornamentum porticus, in Foro novo a Coſmo I. Medice Magno Duce Etruriae Negotiantium civium commodo, publicaeque magnificentiae, & ſalubritatis cauſa exſtructae poſuit; qui etiam viatoribus utilitatem & voluptatem adferret, perennem, ac ſaluberrimam aquam, quam per multa paſſuum milia in urbem deduxit, ex ore effundens, undique etiam piſcina & clathris pereleganter vallatus.

TABVLA LXX.

VICTORIA.

REgnorum praeſidem, & cuſtodem VICTORIAM Deam, quamvis antiquiſſimi Orientis populi, Graeci, & Etruſci noſtri magno in honore ſemper habuerint, praecipuo tamen cultu, diviniſque caerimoniis Romani toto orbe victores eam proſecuti ſunt; cui ſalutem, & incolumitatem imperii tute-

telamque adtribuerunt . Aedes in Vrbe aeterna magnificentiſſimas dedicarunt , teſte Publio Victore , Sacerdotes adſignarunt , (1) ludos in eius honorem inſtituere , ſimulacra cum in Circo , tum aliis in locis valde conſpicuis conſecrarunt , ipſamque Romam Deam eius ſignum in manibus praeferre voluere . (2) Ex antiquis quoque monumentis conſtat Victoriae ſimulacrum in manibus Deorum a veteribus poſitum , praecipue vero in dextera Iovis Victoris , & Olympii , Minervae , & Martis , quibus etiam πάρεδρον eam fecerunt , vel quod in bello contra Gigantes opem tulerit , maximoque iiſdem praeſidio & adiumento fuerit ; vel quod ſine ea comite numquam incedere ſoleant : qua etiam de cauſa eumdem honorem Romani Imperatores conſecuti ſunt , quos , ut videre eſt in nummis , Victoria vel comitatur , vel coronat , vel manibus eorum geſtatur . (3)

Eam non ſuſpenſo pede gradientem , quemadmodum in nummis , & in antiquis ſculpturis non raro cernitur , atque a Prudentio deſcribitur , (4) ſed ſtantem exhibet hoc perelegans Simulacrum ; eumdemque ſtatum perſpicue etiam oſtendit virginea palla ad pedes non nudos , ſed ſandaliis ornatos defluens ; quae vento non criſpatur , aut diffunditur , ſed tota perbelle defluit in varios ſinus eleganter concinnata cinguloque in medio conſtricta. Capilli taenia coronati , & in humeros ſparſi , in vertice capitis nodo revincti ſunt ; quod opportuno tempore ſumi debeat , ne eo neglecto fugiat , atque e manibus elabatur . Praeterea obſervandum quod ἄπτερος abſque alis ſculpta eſt , qualem Athenienſes , (5) eorumque exemplo Mantinentes dedicarunt , (6) quaſi permanſuram , nec alio avolaturam . Primus omnium ſculptorum qui alas Victoriae dedit fuit Bupali pater ; qui , uti ex Plinio colligi poteſt , Olympiade XIII. floruit , idque a vetuſtis Tuſcorum artificibus didicit , ut notat Senator Philippus Bonarrotius ὁ μακαρίτης . (7) Nam poſt Aegyptios Etruſci populi omnium primi fuere qui alatos Deos effinxerunt .

Palmam ſiniſtra , dextera vero lauream coronam praefert , hancque offert , ſunt enim praemia victorum ; non ſecus ac deſcribitur ab Ovidio , (8) & ab Claudiano , (9) quorum carmina fa-

(1) Vide Donianas Inſcriptiones Claſſ. IV. n. 22.
(2) Lib. III. de Laudibus Stiliconis . Vide & Rutilium Numatianum in Itinerario v. 47. & ſeqq.
(3) Vide Lil. Gyraldum in Syntagmate Hiſtor. Deorum de Victoria . Apollodorum in Biblioth. Lib. I.
(4) Lib. II. contra Symmachum .
(5) Vide Pauſaniam in Atticis Cap. XXII. in Laconicis Cap. XV.
(6) Idem Eliacorum Prior. Cap. XVI.
(7) In Explicationibus , & Conject. ad Monumenta Etruſca, Operi Dempſteriano addita §. I. pag. 8.
(8) Lib. II. Triſtium ad Auguſtum .
(9) Lib. III. de Laudibus Stiliconis .

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0206
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

fatis pervulgata ſunt . Genium famulum & adminiſtrum , quemadmodum caeteris Diis beneficis & propitiis , Victoriae quoque honoris cauſa veteres dedere ; quod ex nummis , (1) atque ex antiquis ſculpturis clariſſimum eſt . (2)

TABVLA LXXI.

NARCISSVS.

NARCISSI fabula vulgatiſſima eſt , qui forma corporis fuit pulcherrimus . Hic , ut ferunt , quum ad fontem quemdam puriſſimum labore venationis aeſtuque aliquandiu fatigatus deveniſſet , ſiti primum , deinde conſpecto in fontis aqua limpidiſſima vultu ſuo , tanta ſuae imaginis admiratione atque amore captus eſt , ut quum nullam potiendae talis formae ſibi ſpem reliquam eſſe intelligeret , ſui ipſius deſiderio paullatim contabuerit ; deinde vero Deorum miſericordia in florem ſui nominis converſus , inferis Diis offerri in coronis conſuevit . Igitur ſtupens , ac ſe in fonte proſpiciens ſculptus eſt , vultuque ipſo amoris exaeſtuantis vim , ſuaeque pulchritudinis admirationem geſtu pariter ſuſpenſi brachii , & manus expanſae perbelle declarat ; quae omnia egregie expreſſit ſolertiſſimus Statuarius . Perrarum quoque eſt hoc Narciſſi Signum , numquam antea in lucem editum , vel ab aliis ex adſimili typo vulgatum .

TA-

(1) Vide I. Oiſelium an numm. II. Tab. LXX.

(2) Muſei Flor. Vol. II. Claſſ. III. Tab. LXVIII. Gemma I.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0207
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LXXII.

ATHLETA VICTOR.

SPectandus eſt Iuvenis egregia corporis forma conſpicuus, in marmorea ſede antiqui operis conſidens, dextera pomum praeferens, ſeu potius oſtentans; quem aliqui PARIDEM referre cenſent, ego vero ATHLETAM VICTOREM poſt certamen quieſcentem, & praemium, quod ſumma cum laude ſuae virtutis conſecutus eſt, oſtendentem; ad exemplum illius Athletae victoris, qui pariter ſedens ſculptus eſt in nobili gemma regiae Gazae Mediceae, iam edita, (1) prope quem adſtat Minerva *Clavigera*: nam aliter Alexander Paris in antiquis ſculpturis, vel paſtoricia tunica amictus, vel pileo Phrygio tectus exprimitur. Hic vero Athleta nudus eſt; aperti capitis breves de more ſunt capilli.

TABVLA LXXIII. LXXIIII.

PANCRATIASTAE.

NObiliſſimum hoc PANCRATIASTARVM Symplegma Romae erutum prodidere; locus incertus eſt, quamquam Flaminius Vacca (2) non longe a Porta, quae nunc Sancti Ioannis vocatur, extra Vrbem effoſſum memorat; quo in loco pulcherrimum Niobes ſimulacrum, quod in Mediceis Hortis Romae cum ſtupore nunc cernitur, inventum ferunt. Totum exſciſum eſt e Pario marmore nitidiſſimo, quod nulla in parte cor-

(1) Vide Volumi II. Gemmarum antiquarum Tab. XLIV. n. III.

(2) Vide Cl. B. Montfauconii Diarium Italicum Cap. IX. pag. 139.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0208
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

corruptum , labefactatum , inſtauratumve eſt ; quae gloria quampauciſſimis Signis contigit .

E Graecia Romam aſportatum fuiſſe pronius crediderim , quam Romae a praecellentiſſimo Sculptore , cuius nomen nos latet , tanta arte tantoque ſtudio confectum . Laudat Plinius (1) Cephiſſodori ſymplegma , Luctatorum Signum nobile, quod Pergami conſpiciebatur , *digitis* , ut loquitur , *corpori verius* , *quam marmori impreſſis* . Idem laudatum Pergami ſymplegma hoc ipſum eſſe quod in Medicei Cimeliarchii conclavi ſervatur, coniicit Maffeius . (2) Verum nullus coniecturae locus eſt, quum digiti corpori verius quam marmori impreſſi non conſpiciantur. Si coniecturae indulgere licet , potius Myroni opus adſcriberem , cuius , ut auctor eſt idem Plinius , (3) inter cetera egregia opera quae fecit , *Delphici Peuthathli Pancratiaſtae* ſummopere laudantur. Sculptoriae artis compendium , vel potius miraculum eſſe cenſent periti hoc Symplegma , in quo abſolvendo difficultates omnes , quas Statuarius praeſtantiſſimus ſibi propoſuit ut artis ſuae gloriam ſummamque ſcientiam obſtenderet , & ingenio ſupra omne exemplum praeſtanti atque admirando feliciter ſuperavit . Nam ſi per ſingulas partes contemplemur membrorum vigorem athletico ſucco niteſcentem , muſculorum vim , variorum ſtudiorum conatuumque motus tum illius Pancratiaſtae qui humo volutatur , tum alterius qui humeris incumbit, tam exquiſito artificio expreſſa haec ſunt , ut nihil pulchrius , nihil difficilius , ac proinde admirabilius excogitari , ne dum effici potuiſſe quis exiſtimet . Mirum videtur peritis quomodo in quaſdam partes corporis utrorumque, quae paene ſe tangunt , ſcalprum tanta felicitate tantaque conſummatiſſimi operis gloria inſinuare potuerit , nimirum ſub vultu , ſub pectore , ſub cruribus Pancratiaſtae humi inſiſtentis , ſub brachio , ſub coxis alterius Pancratiaſtae eidem ſuperſtantis ; ita ut non obſtantibus tot corporis nexibus implicatiſſimis, quos Graeci , ut notat Ammianus Marcellinus , ἄμματα dixerunt , (4) ſeu anfractibus , & ut Statuarii noſtri aiunt , *ſottoſquadri* , hoc opus nulla umquam laude ſatis celebrandum abſolvere , & poſteris admirandum tradere valuerit , quod quidem non tam factu difficillimum, quam cogitatu inventuque paene incredibile videtur .

Verum de huiuſce Signi dignitate , opificio , ac raritate ſa-

(1) Lib. XXXVI. Cap. V.
(2) In Collectanea Statuarum antiquarum Tab. XXIX. pag. 31.
(3) Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(4) Hiſtor. Lib. XV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0209
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tis dictum : ad PANCRATIASTARVM certamen breviter illuſtrandum nunc gradum facio , quod ex lucta , & pugilatu mixtum erat . Nam ſtantes & recti certamen inibant ; qui vero adverſarium in terra ſecum deieciſſet , ſibique decidendo ſuppoſuiſſet , is facile victor evadebat : quapropter humi proſtrati , atque invicem complicati , ſeque mutuo convolventes , alter alterum ſibi ſupponere pugnando nitebatur , quod arte maxima , magnoque virium conatu fiebat . (1) Philoſtrati inſignem locum , qui hoc praeſtantiſſimum opus eleganter illuſtrat , libet adferre . (2) Οἱ παγκρατιάζοντες , ὦ παῖ , κεκινδυνευμένῃ προχρῶνται τῇ πάλῃ , δεῖ γὰρ αὐτοῖς ὑπτιασμῶν τε , οἳ μὴ εἰσὶν ἀσφαλεῖς τῷ παλαίοντι · καὶ συμπλοκῶν , ἐν αἷς περιγίνεσθαι χρὴ , οἷον πίπτοντα . δεῖ δὲ αὐτοῖς καὶ τέχνης εἰς τὸ ἄλλοτε ἄλλως ἄγχειν . οἱ δὲ αὐτοὶ , καὶ σφυρῷ προσπαλαίουσι . καὶ πλῷ χεῖρα στρεβλοῦσι , προσόντος τοῦ παίειν , καὶ ἐνάλλεσθαι . ταυτὶ γὰρ τοῦ παγκρατιάζειν ἔργα , πλὴν τοῦ δάκνειν , ἢ ὀρύττειν . *Qui Pancratio ſe exercent , o puer , periclitanti utuntur lucta : opus eſt enim ipſis & reſupinationum , quae luctanti tutae minime ſunt , & complexionum , in quibus & cadentem vincere oportet . Opus autem ipſis & arte , ut alias aliter adverſarium cingant . Hi quidem & pedis malleolo luctantur , & manum torquent , quum interea & feriant , & inſultent . Haec ſunt Pancratiaſtae opera , praeterquamquod & mordent , & fodiunt* . Ex Poëtis Graecis ſi quis Nonnum , qui Aeacum , & Ariſtaeum , (3) ex Latinis Statium Papinium , qui Tydeum , & Agylleum (4) pancratio certantes deſcribunt , adire voluerit operae pretium faciet ; eritque res maxime iucunda veterum artificum opera cum egregiis ingenii Poëtarum monumentis conferre.

TA-

(1) Vide Lucianum de Gymnaſiis ; Cl. Salmaſium in Plinianis Exercitationibus Cap. XXIV. Petrum Fabrum in Agoniſtico Lib. I. Cap. XI. & Hier. Mercurialem de Arte Gymn. Lib. II. Cap. VIII.

(2) Iconum Lib. II. de Arrhichio Athleta .

(3) Lib. XXXVII.

(4) Thebaidum Lib. VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0210
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA LXXV.

ATHLETA VICTOR.

VEterum Signorum imperiti admiratores pulcherrimam hanc Iuvenis Statuam, manibus vaſculum praeferentis, Ganymedem ambroſiae Deorum miniſtrum referre cenſuerunt. Verum in magna luce nihil vidiſſe ex eo apertiſſimum eſt, quod optimus & quidem Graecus Statuarius palmae arboris truncum eum iuxta poſuit, quo facilius ATHLETA VICTOR ſpectantibus adpareret; quod etiam ab aliis Sculptoribus factum in huiuſmodi Signis alibi adnotavimus. (1) Neque vero multopere laborandum mihi eſt ut id confirmem, quum ſatis ſuperque conſtet palmam Athletis victoribus pro praemio datam fuiſſe, qua tamquam Diis pares omni cultu atque honore digni exiſtimabantur. (2) Accedit vaſculum, quod tamquam inſigne victoriae ſuae monimentum, pulcherrimo aptiſſimoque geſtu manibus praefert, vel potius oſtentat. Nam praeter palmam, coronas, clypeos, veſtes, anulos, amphoras quoque & phialas & ſacros lebetes, ac pateras Athletis victoribus donatas fuiſſe perſpectum eſt; (3) quae munera in eorum conſpectu ſuper menſas ponebantur, ut ad victoriae laudem conſequendam invicto animi robore vehementius accenderentur. Virgilii verſus elegantiſſimi ſilentio haudquaquam praetereundi ſunt; (4)

Munera principio ante oculos Circoque locantur;
In medio ſacri tripodes, virideſque coronae,
Et palmae pretium victoribus, armaque, & oſtro
Perfuſae veſtes, argenti aurique talentum.

Ac paullo poſt: (5)

(1) Vide inter Donianas Inſcriptiones pag. XCV.
(2) Horatius Ode I. Lib. I.
——— *palmaque nobilis*
Terrarum dominos evehit ad Deos.
(3) Ex Pindaro Iſthm. Od. 1. Ex Horatio Carm. L. IV. Ode VIII. Vide quae in Vol. I. Muſei Florentini adnotavimus pag. 122.
(4) Aeneid. Lib. V. v. 109.
(5) Ibidem v. 266.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0211
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.

Athletae Iovi ſupplicantes poſt victoriam coronas offerebant, armaque athletica in templis Deorum ſuſpendebant. Oſcula etiam pro praemio, & convivia, atque inter cives locum ſedemque accepiſſe legimus; quae praemia, ut arbitror, Ανδρεῖα vocabuntur; quorum fit mentio in hoc perraro lapide apud celeberrimum D. Bernardum Montfauconium, ſummum antiquitatis amplificatorem. (1)

ΑΓΙΣ
ΑΜΥΡΑΛΟΥ
ΑΝΔΡΕΙΑ

Haec inſcriptio pertinet ad Agim, ut credo, victorem, qui praemia ἀνδρεῖα adſecutus eſt. Athenaeus de conviviis differens, (2) horum ita meminit: Τὰ δὲ ἐν Σπάρτῃ Φειδίτεια, καὶ παρὰ τοῖς Κρησὶν ΑΝΔΡΕΙΑ μετὰ πάσης ἐπιμελείας αἱ πόλεις σωῆγον. *Spartani ad patria Phiditia, Cretenſes ad* ANDREIA *maxima cura ſuos conducebant.* ΑΝΔΡΕΙΟΝ appellabant locum in quo viri cognati convenire ſolebant; de quo multa notari poſſunt in antiqua inſcriptione perinſigni, quae Venetiis exſtat, relata in Gruteriano Theſauro. (3)

TABVLA LXXVI.

ATHLETA SIVE DISCOBOLOS VICTOR.

SI manus excipias, quae non ſatis eleganter inſtauratae ſunt in hoc Signo exquiſitiſſimi operis, cetera membra totumque corpus utraque in parte conſpiciendum propter eximiam pulchritudinem, tanto artificio ſculptum eſt, ut merito inter eximia Graecorum opera cenſeri poſſit. Tanta enim tamque mira in eo fulget membrorum ſibi invicem optime reſpondentium

(1) In Diarii Italici Cap. XXVIII. pag. 422. n. 22.
(2) Lib. V. Cap. II. pag. mihi 186.
(3) Pag. CCXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0212
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

tium elegantia, dignitas, pulchritudo; pectus toroſum, genua ac latera bene firma, caput decorum, quale Athletas decet, perinde ac deſcribitur a Pauſania, (1) ut Dei Praeſtitis Signo, quod paullo ante vidimus, & illuſtravimus Tab. XLV. longe ſimillimum habeatur. Ex geſtu brachiorum, qui ſolus attendi debet, DISCOBOLON nobis exhibuiſſe crederem Statuarium praeſtantiſſimum. Nam ad exemplum imaginis Diſcoboli ſculpti in antiqua Gemma Mediceae Gazae, (2) dextera diſcum, ſiniſtra palmam praetuliſſe credibile eſt. Myronem feciſſe ſpectatu dignum *Diſcobolon* memorat Plinius; unde coniicere quis poſſet ex eius ſchola hoc Signum prodiiſſe.

TABVLA LXXVII.

MILES VELES.

MILITEM Romanum egregio opere ſculptum exhibemus. E Velitum claſſe indicat levis armatura, haſta, quam dextra gerebat, quae intercidit, gladius e balteo pendens, & ſcutum in ſiniſtro brachio inſertum, quod ad modum imbricis excavatum eſt, & formae quadratae. Haec enim fuiſſe Velitum arma diſcimus ex Cicerone, Livio, Polybio, Dionyſio aliiſque auctoribus. Polybius galeam quoque iiſdem tribuit; quod poſterioribus temporibus factum putat Ioannes Antonius Valtrinius, (3) ſicut etiam illud quod pro ſcuto parmam acceperint. Cur vero ſiniſtro genu flexo eum ſculpſerit Statuarius, incompertum mihi eſt. Difficultate operis maiorem ſpectatorum gratiam inire voluiſſe artificem arbitror; coniecturae facem praeferente Quinctiliano, qui haec de Statuariis, & Pictoribus notat: (4) *Expedit ſaepe mutare ex illo conſtituto traditoque ordine aliqua; & interim decet, ut in ſtatuis atque picturis videmus, variari habitus, vultus, ſtatus. Nam recti quidem corporis vel minima gratia eſt. Nempe enim adverſa ſit facies, & dimiſſa brachia, & iuncti*

(1) In Eliacis poſter. Cap. VII. & VIII.
(2) Vide Tab. XVII. n. 2. Tom. II. Muſei Florentini.
(3) De Re Militari Romanorum Lib. III. Cap. XII.
(4) Lib. II. Orat. Inſtitut. Cap. XIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0213
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

& iuncti pedes , & a ſummis ad ima rigens opus : flexus ille , & , ut ſic dixerim , motus dat actum quemdam effictis .

TABVLA LXXVIII.

MILES FVNDITOR.

PErelegans huiuſce MILITIS Signum , quum a recentiori Sculptore inſtauratum ſit , haud facile dixerim cuius ordinis , & officii militem repraeſentet . Chlamydem cum brevi tunica ſuccincta VENATORI facile convenire poſſe conſidero . Greſſus quoque citiſſimus eum feras inſequentem declarare poteſt . Verum ſiniſtrum brachium ad pectus reflexum , quo e veſte ſinum facit , dextrumque brachium ad iaculandum eo modo confectum , pedes caligati , eo haerentem animum ducunt , ut MILITEM potius FVNDITOREM referre credam . Sed in rebus, quae difficultate non carent, aliorum quoque ingeniis ſpartam aliquam relinquendam eſſe cenſeo , ut , re accuratius expenſa , meliora poſteris promant .

TABVLA LXXVIIII.

TRANSVECTIO EQVITIS ROMANI.

EXimium tum anaglypho opere , tum ipſa magnitudine , ac raritate marmor exhibeo , quod in hoc Statuarum praeclaro Syntagmate minime praetereundum eſſe viſum eſt . Altitudine, ut mihi conſtat , ſex pedes Romanos , latitudine vero quatuor aequat ; quod quidem ad conciliandam marmori ſpectantium laudem , atque admirationem ſatis eſſe poteſt ; ne quid dicam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0214
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

cam de luce, quam Romanae Hiſtoriae monumentis adfert. Sculptoris nomen ignotum nobis eſt; at quod cernitur illuſtre opificium, Hadriani Imperatoris aetatem egregiis Sculptoribus refertam, non obſcuris ſecurae manus notis declarare videtur.

Cernitur Eques Romanus, ut ad deſcriptionem anaglyphi veniam, corporis dignitate, veſtiumque cultu inſignis; qui ſtans ſiniſtra haſtam puram tenet, dextera vero equum alacrem freno cohibet. E dextro humero militaris trabea dependet, quam fibula ſubnectit; corpus ſuccincta tunica amictum eſt. Equus vel gradienti, vel poſt curſum conſiſtenti ſimilis eſt, praeſtanti plane artificio abſolutus; multumque laudatur a peritis artifex qui arctiſſimo in loco tam docte eum prominere, & ab Equite duci quam feliciſſime fecerit. In ſumma marmoris parte, veluti ex orbiculis ſe ſe exerunt duae protomae multa arte confectae, quae, an, ut aliqui volunt, Ledam altera parte, altera vero vel Caſtorem vel Pollucem exhibeant, incertum eſt. Imperatoris, & Auguſtae effigies eſſe minime auſerim adfirmare; ad exemplum fortaſſis aheneae Tabulae, quam adfert Fabrettus de Columna Traiani differens, (1) in qua ſuperne eodem modo adfixae ſunt protomae Septimii Severi Imperatoris, eiuſque coniugis Iuliae Auguſtae; nam in eadem Tabula militum nomina recenſentur, qui eorum beneficio frumentum publice acceperunt.

In hoc marmore viri imago, quae laeva cernitur valde ſimilis eſt cum ore, tum brevioribus capillis eidem Equiti, qui ad iuſtam hominis magnitudinem infra ſculptus eſt: quare alteram feminae imaginem forte referre eius uxorem coniicio: hinc etiam auguror vel honoris cauſa publice poſitum Romae hoc monumentum, quodque etiam non ibo inficias, ſuper eius ſepulcro conlocatum, ſubiecto titulo honorum, quos in militia conſecutus eſt, qui tamen hodie non exſtat.

Hactenus obvia nonnulla, quae in hoc marmoreo anaglypho opere deſcribendo notanda fuere, obſervavimus: illud ſupereſt ut animadvertamus, quod Eques ille Romanus equum ducens, rem in ampliſſimo antiquitatum theſauro prorſus ſingularem deſignat, nempe TRANSVECTIONEM, quae coram Cenſoribus, vel etiam Imperatoribus poſterioribus quidem temporibus dum luſtrum conderent fiebat; quod monumentum ad illuſtran-

dos

(1) Cap. II. pag. 57.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0215
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

dos Romanae Hiſtoriae Scriptores non ſolum inſigne eſt, verum etiam ad hoc tempus, ut arbitror, numquam ab aliis editum. Mos igitur fuit ut Equites, qui equo publico donati fuerant, atque ad eum alendum ſtipendia acceperant, quod non parvi honoris fuit, ad tribunal Cenſorum venirent manu ducentes unuſquiſque ſuum equum: ſi Cenſores in tranſvectione recognoſcentes retinere iiſdem permittebant, ſinebant illos abire; ſin minus equum illis adimebant, vendique illum iubebant. Hanc tranſvectionem, ſive tum Equitum, tum equorum examen, & probationem a Q. Fabio Rulliano inſtitutam fuiſſe docet Livius, (1) Valerius Maximus, (2) aliique. (3) Equites in tranſvectione trabeati, ceteriſque militaribus donis inſignes incedebant, & praetereundo Cenſores ſalutabant; quo ſplendido cultu & hoc Equitis ſimulacrum ornatur. Id quoque illuſtratur egregio Perſii loco Satyra tertia, qui ita ait de Romano Equite,

Cenſoremve tuum vel quod trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras?

Equus etiam phaleris, ac caelatis frenis decoratur, atque ante frontem pendenti gemma. Sed haec pauca adnotaſſe ſufficiat.

TABVLA LXXX.

REX PHRYGIVS.

PHRYGIVM REGEM referre aliqui putant hoc Signum elegantiſſimum, ipſa quoque magnitudine conſpicuum; idque deducunt ex regio cultu quo ornatur, nempe pileo Phrygio, regali paludamento, quod ex humero ac brachio dextero pendet, atque ex ſceptro, quod dextera elata oſtentat. Verum illud ſilentio praetereundum non eſt huius Signi ſolum thoracem eſſe antiquum, & quidem admirando abſolutiſſimoque opere a Grae-

(1) Lib. IX. & XXXIX. 19. 44.
(2) Lib. II. Cap. IX. n. VI.
(3) Dionyſius Lib. VI. Plinius Lib. XV. Cap. IV. & auctor de Viris illuſtribus Cap. XXXII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0216
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG

Graeco Sculptore pereximio perfectum: reliquas vero partes corporis perpulchro accuratoque opere refectas fuisse a recenti Sculptore, qui si ingenio suo indulgere noluisset, poterat quidem artificio ad veritatem propius accedente ita illud instaurare ut ATYN Magnae Deûm Matris Cybeles amasium formosissimum referret, dextera fistulam, laeva pedum incurvum gerentem, non vero Phrygium Regem iuventa decorum, cuius genas barbae lanugine vestivit, Aty minime conveniente; qui furore correptus, ut ferunt, lapideo cultro se ipsum castraverat in honorem eiusdem Deae Cybeles. Quod igitur thorax antiqui operis, qui supersit, non alterius quam ATYS Statuae insigne fragmentum esse possit, verosimilius mihi videtur. Nam cum in Gemmis, tum in marmoribus, vetustisque signis pectus Atys apertum, vestis diducta, & sinuata, quae sui ambitu, & apertione malum punicum refert, cuius specie capta mater eius Nuna facta fuit praegnans, ut scriptum reliquit Arnobius, (1) ita pulcherrimi adolescentis propria videntur, ut aliis minime convenire posse videantur; quare ad Atyn repraesentandum hoc pulcherrimum Signi vestigium reformandum fuerat.

TABVLA LXXXI.

HARVSPEX ETRVSCVS.

QVamquam complura hodie supersint veterum Etruscorum insignia monumenta, quae reipublicae litterariae bono iam edita diligenterque illustrata sunt; nec pauca adhuc supersint inedita, eximia eruditionis fruge referta, quae nuper lustratis singulis Etruriae urbibus magno studio, ac labore collegi, iustoque volumine centum aereis Tabulis incisa, adiuvante Deo, proferam; nullum tamen hoc aheneo Signo illustrius inventum usquam est, nullumque praestantius, nobilius, rarius oculis studiosorum hominum vetustatis subiectum fuisse omnes

(1) Id notat Laur. Pignorius de magnae Deûm Matris Idaeae & Attidis initiis; in principio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0217
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

fatentur . Antiquitas ipſa auget pretium commendationis , & raritatis . Nam , ut ait Caſſiodorus , (1) *Statuas primum Tuſci in Italia inveniſſe referuntur ; quas amplexa poſteritas paene parem populum Vrbi dedit , quam natura procreavit* . Repertam memorat Felix Ciattius in ſuis ſcriptis (2) non longe ab urbe Peruſia , in loco qui *Pila* vocatus eſt , quod in eo antiquitus condita eſſent Sepulcra veterum Etruſcorum , qui Peruſiam incolebant ; nam vernaculo fermone noſtro ſepulcra , & ſarcophagi *pili* appellantur , quae etiam ſimulacris exornari ſolebant . (3) Ahenea eſt haec inſignis Statua , alta pedes Romanos ſex , & uncias duas ; quae altitudo quum contineat undecim capita , deſumta menſura ab imo mento ad ortum capillorum in ſumma fronte , credere fas eſt Etruſcos vidiſſe illam ſymmetriam a Lyſippo excogitatam , (4) qui minora capita faciebat , & corpora graciliora , per quae proceritas ſignorum maior apparet . Quod Etruſca ſit & quidem vetuſtiſſimi operis , nemo dubitat , quum ex Etruſca inſcriptione inciſa in limbo togae id apertiſſime appareat . Eadem intus cava , & inanis eſt perinde ac Chimaera , quae inter monumenta Dempſteriano Operi addita exhibetur Tabula XXII. quare Tuſcorum ex his ingenium maxime oſtenditur , qui perfectum aeris conflandi artificium antiquiſſimis temporibus optime noverunt ; quum alioquin apud veteres Graecos primitus aereis laminis opere ductili ſimulacra ruditer compaginarentur , quemadmodum ex Pauſania , (5) qui ea deſcribit , colligi poteſt . Quum vero Etruſci in fuſoria inſignes eſſent , nihil mirum ſi etiam perfecte callerent artem aeris parandi : excepto enim hoc Simulacro , in cuius aere mixtum plumbum , & ferrum periti agnoſcunt , plura ſimulacra , praeſertim Chimaera , ſigna , & nummorum maior pars ex orichalco flavo fuſa ſunt , quod perfectiore cadmia mixtum credi poteſt ; nam auri nitorem quandoque aemulatur . Illud etiam notandum eſt , quod adtinet ad gloriam priſcorum Etruſcorum , qui plurimarum artium inventores , vel amplificatores fuere , hanc aheneam Statuam , ut etiam notavit Felix Ciattius , (6) oculos ex gemmis habuiſſe ; cavi enim adhuc cernuntur , adeoque perſpicuum eſt gemmeos oculos inſertos

(1) Variarum Lib. VII. form. XV.
(2) Vide Vol. I. quod inſcribitur *Delle Memorie , Annali & Iſtorie delle coſe di Perugia* . Lib. II. Peruſiae Etruſcae pag. 52. 54. 72. edit. Peruſiae anno MDCXXXVIII.
(3) Confer eumdem Ciattium ibidem pag. 72.
(4) Plinius Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(5) In Laconicis Cap. XVII.
(6) In libello de eadem Statua Italice ſcripto , & inſcripto *Paradoſſo Iſtorico* , edit. Peruſiae anno MDCXXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0218
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

ſertos fuiſſe. In hoc artificii genere ſuſpicari licet Etruſcos Graecis Latiniſque praeiviſſe, qui aliquando hunc morem ſequuti ſunt, quemadmodum obſervavit nobiliſſimus Senator Philippus Bonarrotius. (1)

Ad illuſtrandum veſtium cultum deſcendo; qui apud nobiliores, & amplioris ſtatus & fortunae viros in uſu fuit. Tunica lata & ampliſſima amictus eſt; quae etiamſi manicis careat, redundans tamen tunicae pannum aliquam partem brachii contegit. Supra tunicam pallio ampliore, ſeu tunica indutus cernitur, ita ut dexter humerus & brachium eſſent expedita, & modum ferendi togam, quam Romani acceperunt, referrent. Togam credere potius quam pallium nihil prohibet; quum togae uſum apud Tuſcos adſtruant toga picta, & toga praetexta, quas ab illis Romanos accepiſſe tradunt Scriptores; imo Servius circa finem Libri II. Aeneidum, ut eſt in manuſcripto Fuldenſi, tradit apud Tuſcos togae uſum viguiſſe. Neque vim facere poteſt (haec omnia notat eruditiſſimus Bonarrotius) quod in hac Statua appareat angulus quadratae veſtis, ſeu alterius figurae, apertae tamen, cuiuſmodi erat pallium; id enim uſum togae apud Etruſcos minime convellit: nam praeterquamquod eruditorum ſanior pars togam apertam ſtatuat, mirifice ſententiae meae favet altera viri togati Statua marmorea, quae in Mediceo Theſauro conſpicitur, atque in hoc Volumine adfertur Tabula LXXXIIII. ad cuius pedes eiuſmodi lacinia, ſeu potius panni angulus conſpicitur; cui, ut in hac ahenea Statua Etruſca, annexa eſt anſula, ex eadem cum panno materia contorta, quae uſui eſſe potuit, vel ad ſuſpenſam ipſam togam ſervandam, vel lotam ſoli exponendam. Ceterum cum tunica tum pallium pulcherrimis flexionibus ſinuantur, tantoque artificio facili aptoque modo defluentem togam ex humero, brachioque ſiniſtro fecit praeſtantiſſimus Statuarius, ut nihil concinnius, nihil elegantius confici poſſe periti cenſeant.

In Togae limbo, eo quo potuit ingenio Artifex lineis notavit clavum praetextum, quem e purpura fuiſſe obſervat idem Bonarrotius. In eodem clavo praetexto inſcriptio Etruſcis litteris concepta inciſa eſt, quae tribus lineis conſtat. Vtrum nomen eius viri apud Etruſcos clari in cuius honorem Peruſini

(1) Vide Explicationes, & Coniecturas in Monumenta Etruſca Operi Dempſteriano addita §. XXXVII. pag. 74. & Obſervationes ad Numiſmata maximi moduli pag. XII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0219
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

hanc Statuam dedicarunt, laudeſque contineat, vel nomen Statuarii, incompertum nobis eſt ex ignoratione veteris Linguae Etruſcorum. Priſcos artifices Tuſcos cum in ſignis vel e marmore, vel ex aere, tum etiam in Gemmis notaſſe nomen ſuum alibi enucleatius oſtendam; quod quum facerent paucis litteris id exprimebant; in hoc vero Signo ſexaginta ſex litteris extremus togae limbus inſcriptus eſt, quae forſitan tum viri laudes, tum artificis nomen complecti poſſunt. Veterum Etruſcorum exemplo noſtri quoque priſci Sculptores, & Pictores limbum veſtium ſacrarum Imaginum inſcribere conſuevere.

Felix Ciattius mire torſit ingenium ſuum ut inveſtigaret tum viri egregii in cuius honorem Peruſini hoc Signum erexerunt, tum artificis nomen; cuius ambagibus non decet doctorum hominum aures obtundere. Illud plane praetereundum non eſt quod hoc opus eſſe cenſet Cephiſſodori Athenienſis & quidem prioris, (nam duo Cephiſſodori fuere) fulcitque coniecturam ſuam Plinii auctoritate, qui ſcribit (1) eum praeter Mercurium Liberum Patrem in infantia nutrientem, feciſſe & *Concionantem manu elata*, cuius perſonam in incerto eſſe adfirmat. Addit etiam quum callere Etruſcam linguam ſe credat, in prima linea inſcriptionis legere Cephiſſodori nomen his litteris conceptum VAIZAAAA, de qua coniectura, ambigua ſane ac perobſcura, penes eruditos viros iudicium eſto. Mea quidem ſententia eſt hanc Statuam conflatam fuiſſe aevo multo vetuſtiore, & ab artifice Etruſco; nam opus, & artificium alterius indolis eſt, videlicet durioris, (2) ut ait Quinctilianus, nec Graeci Sculptoris redolet manum.

Caute, ut in omnibus, de hac Statua perinſigni locutus eſt Illuſtriſſimus Bonarrotius, qui non ſolum artificis nomen reticuit, verum etiam quem virum apud Etruſcos clarum referret vel ſcientia vel dignitate conſpicuum, an aliquem, ut plerique arbitrantur, ex Lucumonibus, qui quum duodecim eſſent, duodecim Etruriae populis ſinguli praeerant, non ſolum non expendit, verum etiam ſilentio praeteriit, quod ego quoque feciſſem perlubenter: verum eximium monumentum, quod nuper in lucem protuli inter Donianas Inſcriptiones ex Muſeo Victorio Romae, (3) coniecturae meae tantum adfert lucis, ut

AVGV-

(1) Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(2) Lib. XII. Cap. X.
(3) Vide Tab. IX. relatum pag. 143. cuius explicatio adfertur pag. LXXIII. & LXXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0220
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

AVGVREM, vel HARVSPICEM apud Etruſcos Peruſinos clarum, tamquam alterum Tagetem, referre facile poſſe cenſeam. Adlatum igitur Tabula IX. in eodem libro marmor anaglyptico opere ſculptum exhibet Vertumnale Sacrum in honorem Vertumni Etruſcorum Dei antiquiſſimi; cuius cultum ab Etruſcis primum Latini, dein a Latinis Romani accepere. Sacrificio quod peragitur accenſo in terra foculo, adlatiſque terrae oleribus, & hortorum herbis, adeſt ſtans Augur, ſive Haruſpex procul dubio Etruſcus (namque uſus accerſendi Romam Etruſcos Augures, qui celebre Collegium, & Auguratorium habuere, uſque ad ſequiora ſecula duravit) ad exemplum huius Statuae Etruſcae tunica, & toga indutus eſt; in eo tamen diverſus, quod calcei alio cultu compoſiti ſunt, caput non breviſſimo capillo, ſed longiori, & criſpo confectum, quae quidem minima ſunt; convenit tamen in hoc quoque quia ſine barba eſt, & ſiniſtra pugillares tenet, in quibus notet auſpicia tum flammarum, & foculi, tum aviculae oſcinis, quae arbori foliis deſtitutae inſiſtit, tum canis, qui vi ad focum tamquam victima immolanda, ni fallor, adducitur; dextrum vero brachium, & manum elatam hoc prorſus modo geſtuque, qui in hoc Etruſco Simulacro cernitur, tenet; niſi quod manus, ut in hoc Mediceo, aperta non eſt, ſed ad aliquid indicandum, compoſitis digitis conformata. Quare facile crediderim hoc elatae manus geſtu vetuſtos Etruſcorum Augures, ſive Haruſpices captare, vel indicare auguria conſueviſſe, itemque docere quid futurum, faciendum, vitandumve eſſet, acceptis auſpiciis ſive ex extis victimarum, quae in ſacrificiis mactabantur, ſive ex avium cantu, & volatu, ſive ex fulguribus, ac fulminibus; nam nihil veteres Etruſcos, ac Romanos inauſpicato feciſſe exploratiſſimum apud omnes eſt.

Supereſt ut de anulo, ac de calceis paucis diſſeramus. Anulum geſtat laeva manu in digito, qui minimo proximus eſt; quo in more, ut in ceteris, Romani Etruſcos imitati ſunt. Is enim uſus omnium primus & vetuſtiſſimus fuit; poſtea creſcente luxu non ſolum digitum pollici proximum, verum etiam ſingulos ambarum manuum digitos anulis oneratos, iiſdemque exornata fuiſſe Deorum ſimulacra prodit Plinius. (1) Anulus obſignatorius non eſt, nam in medio eius globulus ovalis figurae emi-

(1) Lib. XXXIII. Cap. III.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0221
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

eminet ; quare totus ex integro metallo confectus conflatuſque perſpicue apparet : an vero ex auro compoſitus annulus fuerit , qui repraeſentatur , vel e ferro , ut vult Ciattius , non ſatis conſtat ; qui id affirmat ut notet , accepta ab Etruſcis conſuetudine , Romanos Imperatores in triumphis anulos ferreos geſtaſſe. Patet etiam gemma exornatum non fuiſſe ; nam loculus nunc non apparet in quo gemma inſerta olim fuit ; quod facile artifex facere poterat , qui gemmeos oculos huic Statuae honoris maioriſque cultus , & pulchritudinis cauſſa repoſuerat .

Calcei , quibus Haruſpex Etruſcus inſignitur , nobiliſſimi ſunt , qui pedes , & mediam circiter tibiam tegunt vinculis pulcherrime concinnatis ; adeo ut neque digiti , neque ulla pars tibiae , quam veſtiunt , nuda appareat , & loris per ipſam tibiam circumvolutis religati ſunt . Eodem cultu calceamentorum more Etruſcorum exornatum Evandrum ita deſcribit Virgilius : (1)

Conſurgit ſenior , tunicaque inducitur artus ,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis .

Lora , ut notat Iulius Pollux , (2) inaurata erant , vel etiam e purpura confecta ; (3) quae alibi enucleatius obſervabimus .

TABVLA LXXXII.

L. CORNELIVS SVLLA DICTATOR.

ROmae in celeberrimo Barberino Muſeo inter cetera inſignia vetuſtatis monumenta adſervantur duae marmoreae protomae , altera L. CORNELII SVLLAE , altera C. Marii , quae a peritis ſtudioſiſque priſcarum elegantiarum valde laudantur , ac ſuſpiciuntur . Priori ex his ſimillima eſt haec imago viri conſularis ſedentis , quare Dictatorem Sullam referre cenſuimus ; ceterum liberum eſto cuique hac in re iudicium . Signum

(1) Virgilius Aeneid. Lib. VIII. v. 457.
(2) Onomaſtici Lib. VII. Cap. XXII.
(3) Vide Dempſterum de Etruria Regali Lib. III. Cap. XXXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0222
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

gnum hoc perparvum quidem eſt, verum propter raritatem ipſam, atque eximiam operis elegantiam non ſine voluptate ſpectandum.

Sullae geſta adeo clara atque explorata ſunt ut nihil opus ſit ea heic repetere. Perraram tantum adferam votivam inſcriptionem Iovi dedicatam, quam idem Sulla vir excellentiſſimus palmaribus litteris ad aeternitatem nominis ſui incidi iuſſit in rupe inter Atinam, & Soram, prope oppidum quod vulgo dicitur *la Villetta;* quae detecta eſt anno MDCCXXIII. dum publica via reficeretur: eam Matthaeus Aegyptius I. C. Neapolitanus, vir litterarum laude nemini ſecundus, cum amico meo ſpectatiſſimo Caietano Berenſtadt tunc Neapoli degente, hic vero poſtmodum mecum communicavit; in qua notandum Sullam non niſi victoria potitum *Felicis* cognomen accepiſſe. Ita igitur memorata inſcriptio ſe habet:

IOVI
QVOD PERICVLVM
FELICITER EVASERIT
L. SVLLA
V. S. L. A.

TABVLA LXXXIII. LXXXIIII. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.

VIRI CONSVLARES.

TOgatas Statuas quinque in medium producimus in his Tabulis, quarum cultus diverſa tempora notat, quibus ſculptae fuere. Toga ſiquidem quo paucioribus ſinibus conformata eſt, eo magis vetuſtioris ſeculi morem exprimit; quo

quo vero magis ſinibus pliciſque redundat, tanto magis ad poſterius aevum accedit. Antiquiora tempora, nempe Auguſteum aevum reſpiciunt togatae Statuae, quae in Tabula LXXXIII. & LXXXIV. exhibentur; poſteriora, quae in reliquis Tabulis ſubiiciuntur. In Tabula LXXXIII. AVGVSTVM expreſſum agnoſco, fretus iudicio quoque virorum rei antiquariae peritiſſimorum. Nam effigies etſi aliquantulum in ſenium vergat, tamen iiſdem lineamentis expreſſa eſt, quae in inſigni protoma eiuſdem Auguſti clariſſime conſpiciuntur, quae quidem non ultimum eſt Medicei Cimeliarchii ornamentum.

Quem virum in Romana republica clarum referat effigies Statuae togatae, quae ſubiicitur in Tabula LXXXIIII. incompertum mihi eſt. Neque enim ſententiae illorum accedo, qui lubentiſſime ariolantur ut pretium antiquis monumentis faciant. Certe in utraque Statua, praeſertim vero in priore, toga tanta artis maieſtate, decore, ac facilitate ſinuatur, circumiecta reiicitur, attollitur, ſubducitur, ad pedes defluit tam elegan-ter, ut deſiderari conſpicique illuſtrius ac pulchrius nihil poſ-ſit. Calceorum patriciorum forma pernobilis eſt.

Ad pedes alterius Statuae poſitum eſt ſcrinium, quod Viri Conſulares in ſenatum, & in curiam de rebus ac negotiis agentes ferre ſolebant; in quibus libelli, & ſcripta recondebantur. (1) Dio ſcribit Brutum, & Caſſium pugiones loco libellorum in ſcrinio detuliſſe ad trucidandum Caeſarem. Scriniorum typum accuratius exhibet, & illuſtrat eruditiſſimus Iacobus Sponius, notatque quo pacto in his libelli diſponi ſolerent. (2)

Libellum vel convolutum vel paullulum explicatum in manibus tenent. In ſcrinio eius Statuae Viri Conſularis, quae expreſſa eſt in Tabula LXXXVII. aliquot litteras deprehendi, quae etſi vetuſtate temporum non parum detritae ſint, haud tamen ita fugerunt ut legi non poſſit ATTICIAI..... rudi quidem charactere, qui manifeſte ſequiora ſecula redolet. Huius Statuae auctorem fuiſſe ex hac epigraphe coniicio ATTICIANVM, qui Muſam ſculpſit cithara canentem; cuius Statuae iconiſmum ſuperius produximus, & illuſtravimus Tabula XVIII. in cuius baſi idem artifex nomen ſum inſcripſit, eo modo ut ſupra editum notatumque eſt pag. 22. quod etiam ob adſimilem litterarum ductum, & formationem, eamdem manum olet. Ob-

(1) Dio Rom. Hiſt. Lib. XLIV.

(2) In Miſcellaneis erud. Ant. Sect. VI. pag. 216. & 217.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0224
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Obſervationibus his quibuſcumque meis Statuam in Tabula LXXXVI. relatam perlubenter illuſtraſſem, differens de ratione ſcribendi veterum; atque de calamo eiuſque origine & uſu non pauca ſubtexuiſſem: verum brachio eiuſdem Statuae diligenter expenſo, antiquum minime eſſe perſpexi; nam a recentiore artifice inſertum recognovi tanta quidem ſolertia, atque artificio, ut facile ſpectantium oculi decipi poſſint.

De tunica quoque ac toga veterum Romanorum dicere ſupersedeo, quum de his luculenter differuerint complures viri docti, de antiquitate optime meriti; quare eorum ſcrinia expilare non vacat.

TABVLA LXXXVIII. LXXXVIIII.

FEMINAE SEDENTES.

STatuas primum Diis dedicavit antiquitas, tranſiit poſtea & ad homines honor; quorum effigies non ſolebant exprimi niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem mererentur; & primo, ut Plinius obſervat, (1) ob ſacrorum certaminum victoriam, maximeque Olympiae, ubi omnium qui viciſſent Statuas dicari mos erat. Recepta deinde res eſt a toto orbe terrarum humaniſſima ambitione; tranſiitque idem honos ad feminas, quarum memoria prorogari coepit; quod praeſertim Imperatorum tempeſtate frequentius accidit. Romanae Reipublicae exemplo Municipia, & Coloniae non clariſſimos viros ſolum, verum & inclytas feminas ſtatuarum honore donarunt, patronas cooptarunt, baſes decretis honoribus inſcripſere, teſſeras hoſpitalitatis in domibus earum ad memoriam poſteritatis fixere. Non raro etiam honoris cauſa earum Statuas in templis iuxta Deos conſecrarunt; eoque crevit adulandi modus, ut etiam una cum ipſis conſidentes παρέδρας facerent.

Huius generis, ut arbitror, ſunt Statuae pulcherrimae,

(1) Lib. XXXIV. Cap. IV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0225
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

atque elegantiſſimae Feminarum , quae in his Tabulis nunc primum in lucem proferuntur . Ambae ſedentes ſculptae ſunt , quo facilius cum maieſtate coniuncta dignitas ſpectantium oculos rapiat blandaque voluptate detineat . Vtrum vero Feminam , an Deam referat prior Statua expreſſa in Tabula LXXXVIII. incertum eſt . Aliqui Deam exiſtimant , haerent vero in nomine ; nam SECVRITATEM , vel TRANQVILLITATEM cenſent , quae in nummis ſedentes conſpiciuntur . Sed deſunt ſymbola , quae clarius id adſtruant . Aliqui Deam ipſam QVIETEM arbitrantur , quam Romani coluere , eique aedem ſacrarunt extra Portam Collinam , ut memorat P. Victor , (1) & fanum via Labicana , cuius meminit Livius . (2) Aliqui BONAM DEAM credunt , vel PROSERPINAM virginem ; nam caput virginum more capillis nodoque religatum eſt ; ſciant tamen viri eruditi inſtauratum eſſe , adeoque coniecturam non parum laborare . Ex integro marmore totum opus confectum eſt ; ſedes perforata feliciter , veſtis ſumma elegantia , atque artificio elaborata . Sedes pleriſque ſimillima , quae in Etruſcorum antiquis monumentis obſervantur , ac praeſertim illis , quae Diis Deabuſque honoris cauſa dari ſolebant . (3)

Effigiem alterius Statuae , quae pariter ſedet , AGRIPPINAM Germanici coniugem , Auguſti neptem , ingentis animi ac virtutis feminam , referre putant viri docti . Quanta elegantia , ac venuſtate , ſuccincta tunica , & palla in complures ſinus rugaſque perbelle diſpoſita , ſculpta ſit , nemo non videt . Protoma eiuſdem clariſſimae Feminae olim exſtabat apud ornatiſſimum Virum Petrum Andream Andreinium Patricium Florentinum , qui morti proximus eam teſtamento donavit IOANNI GASTONI Magno Duci Etruriae , id rogans ut inter cetera Medicei Cimeliarchii eximia monumenta locum obtineret ; quod poſtea idem clementiſſimus Princeps fieri iuſſit ; quare conſpicuo in loco in eodem Cimeliarchio nunc collocata eſt . Vultus eius , quamquam provectioris aetatis ſit , eadem tamen cum protoma valde convenit .

TA-

(1) In Regione V. Eſquilina .
(2) Lib. IV. Vide D. Auguſtinum Lib. IV. De Civitate Dei Cap. XVI.
(3) Vide in Dempſteriano Opere Tab. LXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0226
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XC.

MATRONA ROMANA.

MAtronis ſummus honos ſemper habitus non ſolum apud Romanos, verum etiam apud ipſos Etruſcos, quemadmodum vetera ſepulcrorum anaglypha oſtendunt, de quibus ſuo loco dicam. Statuae pariter non raro iiſdem dedicatae memorantur, ſi de re publica optime meruiſſent; quare hanc Statuam ex earum numero eſſe, atque honoris cauſa alicui Matronae, cuius nomen incompertum eſt, poſitam fuiſſe facile credi poteſt. Matronarum veſtis ſtola, teſte Feſto; qui *eas eſſe Matronas* ſcribit, *quibus ſtolas habendi ius fuit:* quare eadem veſte amicta eſt haec Matrona pereleganter ſculpta. Caput quoque, more matronarum Etruſcarum, (quas forte imitatae ſunt) velo opertum gerere conſueverunt; quod ex Ammiano colligi poteſt, qui ita ait: *Quo comitatu matronae complures opertis capitibus, & baſternis per latera civitatis cuncta diſcurrunt*. Haec Statua nonnullis videtur referre Sacerdotem, vel Flaminicam; nonnullis etiam Iunonem Pronubam, quae velato capite in antiquis monumentis cernitur: qui etiam opinionem ſuam hoc argumento tuentur, quia caput eius more Dearum mitra, ſive regio diademate exornatur: ſed omnibus hac de re liberum eſto iudicium.

Haec Statua excepto capite, & manibus, quae additae, ut puto, ab alio artifice fuere e peregrino marmore ſubnigro exſciſa eſt, quod baſalten referre videtur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0227
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCI.

PVER NOBILIS CVM BVLLA.

BVllae decus, a Tarquinio Priſco inſtitutum, qui omnium primus filium, quod in praetextae annis occidiſſet hoſtem, aurea bulla donavit, & patricios viros ea uti voluit, (1) Romani, uti ex antiquiſſimis monumentis colligimus, ab Etruſcis accepere: nam hi Deorum Dearumque ſimulacra bullis exornare conſueverunt; a quibus poſtea etiam ad feminas nobiliſſimas idem honor tranſiit: cuius moris exemplum eſſe poteſt Tagetis ſimulacrum bulla inſigne, & Veneris Statua marmorea, quae tribus bullis e collo pendentibus nobilitatur, ut videre eſt in Dempſteriano opere Tabula XLI. & XLV. Eximius aureae bullae iconiſmus ex Muſeo Chiſio diligenter depromtus videri poteſt apud nobiliſſimum antiquitatis interpretem Michaëlem Cauſeum Tab. III. Sectione V. Articulo II. Muſei Romani, cum nomine nobilis pueri CATVLI inſcripto. Aliam bullam auream ex Muſeo ſuo nuper protulit, & illuſtravit Franciſcus Ficoronius, antiquitatum egregius indagator, cui additum eſt perparvum Fortunae Pantheae ſigillum e loro pendens: nam antequam toga virilis ſumeretur, bulla Laribus dedicari, vel in templis in honorem Deorum poni ſolebat. (2)

Statuae nobilium puerorum cum bulla, qualis eſt haec elegans Statua marmorea mediocris altitudinis, dicebantur *bullatae*. De Statua M. Aemilii Lepidi haec Valerius Maximus: (3) *Aemilius Lepidus puer etiam tum progreſſus in aciem, hoſtem interemit, civem ſervavit; cuius tam memorabilis operis index eſt in Capitolio* STATVA BVLLATA, *& incincta praetexta, Senatus conſulto poſita.*

TA-

(1) Vide Plinium Lib. XXXIII. Cap. I. Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. VI.

(2) Vide Propertium Lib. IV. Eleg. I. v. 131. & Perſium Sat. V.

(3) Lib. III. Cap. I. n. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0228
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCII.

CLAVDIVS BRITANNICVS CAESAR.

CAput huic Statuae inſertum, egregia plane arte ſculptum, ſi cum nummis conferatur, effigiem praefert CLAVDII BRITANNICI CAESARIS, quem Claudius Caeſar ex Valeria Meſſalina ſuſcepit imperii viceſimo die, moxque parta de Britannis victoria, Britannicum appellavit. (1) Fato functus eſt antequam decimum quartum aetatis annum expleret; interfectus Agrippinae artibus, Neroniſque odio & invidia; miniſtrante ei venenum Pollione Iulio, Tribuno Cohortis Praetoriae. (2) Virtutis eius poſtmodum memor Titus Imperator Statuam ei auream in Palatio poſuit, alteramque ex ebore equeſtrem in Circenſi pompa praeferendam dedicavit. (3)

Reliquum Statuae quum ad togatum virum pertineat, etſi antiqui operis ſit, Britannico tamen non convenit; pedes recentis artificii imperitam rerum antiquarum manum declarant.

TABVLA XCIII.

FEMINA DETINENS IMPERATOREM.

FEmina regio diademate cincta, more virginis Dianae, vel alicuius Nymphae eiuſdem Dianae comitis, Imperatorem ad bellum, ut arbitror, euntem blandis vocibus, atque illecebris moratur. Hoc Symplegma, e marmore ſculptum a docto artifice, tripedaneum eſt, multis in partibus reparatum. Quem vero Imperatorem, quamve Feminam hiſtoriae monimentis cla-

(1) Ex Dione Xiphilinus in Claudio. Suetonius in Claudio c. 43. Euſebius in Chronico.
(2) Ex Tacito Annal. Lib. XIII. c. 15.
(3) Vide Suetonium in Tito c. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0229
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

claram referat, incompertum mihi eſt, nec dicere auſim, quamvis multae coniecture occurrant. Aliqui (quibus rationum momentis neſcio) expreſſum putant Caium Caeſarem, cognomento Caligulam cum ſorore Druſilla: verum eorum effigies nummis non reſpondent; quare tacere potius, quam inepte ariolari ſatius duxi.

TABVLA XCIIII.

M. AVRELIVS CAESAR.

PEdeſtris haec Statua Romae, ut arbitror, ſpectatiſſimo atque honorificentiſſimo in loco dedicata eſt in honorem M. AVRELII CAESARIS, vel eo ipſo anno, quo, mortuo Antonino Pio, Romani imperii regimen accepit, vel paullo poſt; certe egregii artificis opus valde commendabile cenſetur. Caput laurea corona exornatur; chlamys Heroum more (quare etiam nudo corpore ſculptus eſt) fibula conſtringitur, atque e dextero humero circa ſiniſtrum brachium circumvoluta elegantiſſime pendet. Dextera manu ſceptrum, ſiniſtra globum imperii orbis terrarum ſymbolum praefert; quem globum Iovi tribuit antiquitas, ac nos poſitum iuxta eius thronum in ara eidem dedicata nuper obſervavimus. (1) De eius effigie dubitari non poteſt, quum probe nummis reſpondeat. Vultus ſiquidem eius ſerius & gravis eſt, non tamen ſine comitate, quem numquam vel gaudio vel maerore mutavit; qualis etiam Principem decet ſtudio Stoicorum Philoſophiae egregie excultum, ornatumque praeclaris animi dotibus, quibus decimo octavo aetatis anno adoptatus ab Antonino Pio, Hadriani iuſſu, ad ampliſſimam Romani imperii dignitatem pervenit. Triumphis, & fama nominis clarus deceſſit imperii ſui anno decimo nono, undecim diebus adiunctis; vitae vero quinquageſimo octavo, additis menſibus decem, diebuſque duobus ſupra viginti. Senatus inter Deos

(1) Inter Donianas Inſcriptiones Tab. III. pag. XLII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0230
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

Deos retulit, templa, & ſacerdotes alioſque divinos honores decrevit.

TABVLA XCV. XCVI.

EXPLORATOR.

QVamquam peritiſſimi Sculptores aliqua errata notent in partium proportionibus huius inſignis Statuae; quae errata in parvo quodam Signo ex argilla ad huiuſce archetypi ſimilitudinem (quod nuper obſervavi apud egregium Florentinum Sculptorem, Flaturarium, ac Sigillariarium Laurentium Weber, itemque Florentinae monetae Scalptorem primarium) emendare feliciter conatus eſt Michaël Angelus Bonarrotius; tanta tamen arte, tantoque ſtudio, & diligentia expreſſa eſt e Pario marmore a nobiliſſimo Artifice, ut merito omnium ore celebretur, & inter pulcherrima opera atque admiranda numeretur. Duabus in Tabulis in hoc libro delineata eſt, ut maiori cum voluptate eius opificium obſervetur. Vir flexis genibus inſidens cultrum ſuper cotem exacuit; quod dum facit oculis, ac mente haerere videtur, timore preſſus ne ab aliquo vel audiatur, vel conſpiciatur: quare paulliſper inflexo capite, auribus, ac ſenſibus aliquid explorare cupienti ſimilis, mira felicitate expreſſus eſt. Humeros velat amiculum, quod e ſiniſtro pendet. Nos EXPLORATOREM diximus, habita eius geſtus, ac motus ratione. Quem virum hiſtoriae monumentis celebrem referat incertum eſt. Primum aliorum, deinde meam coniecturam, ac ſententiam proponam. Vulgi quidem opinio parvi facienda eſt, quod cenſet hanc Statuam Senatus conſulto poſitam eſſe in honorem illius proletarii hominis, de Romana Republica optime meriti, qui de Catilinae coniuratione aliquid reſcivit dum opus ſuum exerceret: quam quidem opinionem nullis veritatis hiſtoriaeque monimentis fultam, merito improbat,

ac

ac refellit Paulus Alexander Maffeius Eques, (1) a quo hic homo, ut etiam fere ab omnibus, *l' Arrotino* appellatur. Verosimile videtur iudicium praestantis viri, qui censet referre celebrem illum apud priscos Romanos Attium Navium inclytum augurem; qui, ut memorat Livius, (2) coram rege Tarquinio augurum artem deludente, nonacula cotem discidit; in cuius honorem eo in loco in quo res acta est, in Comitio, in gradibus ipsis ad laevam Curiae, Statua posita est capite velato: quod factum exhibetur in numismate maioris moduli in honorem Antonini Pii Caesaris Augusti percusso, quod exstat in regio Thesauro Christianissimi Galliarum Regis; (3) in quo idem augur Attius eodem paene statu corporis expressus est. Quod vero hic habitus auguri non conveniat (nam neque velatum caput habet) hae difficultates multis rationibus facile dilui possunt, inter quas ea non ultimum locum obtinet, quod summi artifices nudos Deos, & homines frequentius facere consueverunt ut artis suae gloriam, & ingenium clarius ac luculentius declararent.

Supereſt ut ego quoque quid de hoc insigni opere sentiam, breviter proponam. Celebris est notusque ex Taciti Annalibus (4) Flavius Scevinus, qui Pisonianae coniurationis adversus Neronem Caesarem praecipuus auctor fuit, primasque sibi partes expostulavit; qui pridie insidiarum, (nam Circensium die, qui Cereri sacer erat, id exsequi destinatum) regressus domum, testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, quem templo Salutis in Etruria, sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentano in oppido detraxerat, vetustate obtusum increpans, asperari saxo, & in mucronem ardescere iussit; eamque curam liberto MILICHIO mandavit.

MILICHIVM igitur Scevini libertum referre arbitror hanc Statuam; quam fortassis Neronis iussu in huiusce rei memoriam praestantissimus Sculptor perfecit, quod periculum idem libertus Neroni summo mane sequentis diei aperuit. Vultus ipse motusque corporis (nam inter spem ac timorem haesitare videtur, ac silentium ipsum explorare) mirifice convenit, ac declarat animum eius aliquid arduum iussu domini sui molientem, & de coniuratione iam iam suspicantem.

TA-

(1) In opere, quod inscribitur *Raccolta di Statue antiche, e moderne* Tab. XLI. pag. 42.
(2) Lib. I.
(3) Edidit inter Numismata praestantiora Ill. Vaillantius.
(4) Lib. XV. a n. 53. ad n. 65.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0232
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCVII.

PHILOSOPHVS.

CEnſent nonnulli hoc Simulacrum primum repraeſentaſſe AESCVLAPIVM, nam caput eius diademate revinctum eſt: poſtmodum vero ita reſtitutum fuiſſe ut PHILOSOPHI imaginem, addito baculo ſine ſerpente, ac volumine in dextera, praeferat: ut res cumque ſit, ſi quis Philoſophum referre arbitretur, nihil eſt quod repugnet: nam non ſolum celebres Oratores, ac Poëtae, verum etiam Philoſophi magni nominis diademate, vel vitta exornato capite non raro apud Fulvium Vrſinum alioſque egregios antiquarios conſpiciuntur; quem honorem vel in vita, vel poſt mortem conſecuti ſunt, ut memorat Diogenes Laërtius.

TABVLA XCVIII.

VIRGO VESTALIS.

HOnores maximos, privilegia, ac praemia Virginibus Veſtalibus a Numa Pompilio, qui eas inſtituit, a Senatu Romaniſque Imperatoribus adtributa recenſens Iuſtus Lipſius, Statuarum decus iiſdem conceſſum praetermiſit, cuius exſtant in Gruteri Theſauro, (1) atque apud alios celebres antiquarios diſertiſſima teſtimonia. Honoris, ac memoriae cauſa hanc quoque Statuam pulcherrimi operis ac nobiliſſimi alicui VIRGINI VESTALI, cuius nomen incompertum eſt, quae vel Auguſti aetate, vel paullo poſt floruit, dedicatam fuiſſe, non

(1) Pag. CCCIX. 6. 7. 8. CCCX. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Vide reliquas, quae ſequuntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0233
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

levi coniectura adſequi videor ; etſi aliqui ſint , qui potius VESTAM DEAM , quam Veſtalem Virginem vigilem in eius templo ignis ſempiterni cuſtodem , hoc Simulacrum referre arbitrentur ; quorum iudicio nihil ſane eſt cur repugnem . Meae tamen ſententiae favent vetera numiſmata , in quibus Virgines Veſtales expreſsae ſunt , quae adſimili veſtium cultu , velatoque capite ſuffibulo ſacrificant : nam non ſolum vigilare ad ignis fatalis cuſtodiam , illumque alere , ac reparare , verum etiam pro ſalute atque incolumitate populi Romani ſacra facere ſolemne earumdem munus fuit . Stola earum veſtis propria, (1) & quidem alba ex carbaſo , vel tenui lino confecta , punicante in oris limbo , ſeu clavo praetexto . (2) Dum ſacris operarentur , ſuffibulo caput velare conſueverunt , quod ita a Feſto deſcribitur : *Suffibulum , veſtimentum album , praetextum , quadrangulum , oblongum , quod capite Veſtales , quum ſacrificant , ſemper habent ; idque fibula comprehenditur* . Praeter ſuffibulum , caput huius Virginis Veſtalis infula exornatum eſt , quae earumdem Virginum peculiare coronamentum fuit , cui vittae ac taeniae adiunctae ; quae quum pendeant poſt collum , nobis in hoc Signo non adparent . Haec inſignia a Prudentio , uti ſuo aevo Virgines Veſtales ornari ſolebant , accurate deſcribuntur . (3) Capilli , ut videmus , non tonſi , aut in elegantes tricas , ſed in unum facili ornatu compoſiti ; quales etiam in imaginibus Belliciae Modeſtae , & Neratiae Virginum Veſtalium aereis lamellis peculiari artificio impreſſis conſpiciuntur , quae a Raphaële Fabretto , (4) & a Philippo Bonarrotio (5) egregie illuſtrantur . Arula accenſa , quae potius candelabrum refert , perelegans eſt , adhuc integro antiquo opere nulla vetuſtatis iniuria labefactato . De geſtu dexterae manus , quam ſuper foculum extendit , deque laeva manu , qua pateram gerit , nonnulla obſervare poſſem , niſi ſcirem novitio opere refectas eſſe .

TA-

(1) Plinius in epiſtola XI. Lib. IV.
(2) Ex Dionyſio Lib. II. & D. Ambroſio Lib. II. ad Valentinian. Iun. adverſus Relat. Symmachi . Vide Lipſium Synt. de Veſta , & Viſtal. Cap. XII.
(3) Lib. II. circa finem adverſus Symmachum.
(4) In Col. Traiani Cap. VI. pag. 167. 168. 169.
(5) In Numiſmata maximi mod. Tab. XXXVI. pag. 406. 407. 408. 409.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0234
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

TABVLA XCIX.

SACERDOS.

PErſpicuum eſt hoc Signum mediocris altitudinis, eleganti opificio ſculptum, referre, non, ut aliqui putant, Bonam Deam, cuius ſacra a feminis in operto fiebant, vel Fidem Deam; ſed SACERDOTEM eiuſdem Deae Fidei, ut indicare videntur manus velatae. Sacra eiuſdem numinis ſine ferro, caede, ac ſanguine peragebantur. Sacerdotes velatis manibus operabantur ex inſtituto Numae, ut memorat Livius ita inquiens: (1) *Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quo quia ſe perſaepe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum Deae inferebat, Camoenis eum locum ſacravit: quod earum ſibi concilia cum coniuge ſua Egeria eſſent, & ſoli* FIDEI *ſolemne inſtituit. Ad id ſacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi iuſſit; manuque ad digitos uſque involuta, rem divinam facere; ſignificantes Fidem tutandam, ſedemque eius etiam in dextris ſacratam eſſe.* Bona Dea, & Fides aliter, aliiſque cum ſymbolis exhibentur in antiquis nummis, & monumentis; quare potius Sacerdotem Deae Fidei repraeſentari credimus, cuius peculiare inſtutum erat ſacra facere manibus velatis, quod ſecretum eius numen conferetur.

(1) Lib. I.

TABVLA C.

CAMILLVS.

PErinſignis Traiani columna, vetera numiſmata, ac permulta marmora anaglyptico opere caelata, non hoc, ſed alio veſtis cultu amictum exhibent CAMILLVM, qui Pontifici, vel Flamini Diali ſacra facienti miniſtrat. Siquidem veſtis brevis eſt, ac more miniſtrantium ſuccincta: caput nudum, nulloque coronamento revinctum, uti etiam oſtendit Fabrettus in Syntagmate de Columna Traiani Cap. VI. pag. 159. Vidi nuper Camilli imaginem accurate delineatam ex marmoris fragmento, quod exſtat in locupletiſsimo Muſeo Kircheriano Collegii Romani, quodque aliquando publici iuris faciam, in quo Camillus brevi tunica, & quidem ſuccincta amictus eſt; cuius brachia, genua, ac pedes nudi ſunt, nudumque etiam caput. E collo utrinque ante pectus pendet infula maior, quae noſtrorum Sacerdotum ſtolam imitatur; qui quum ad ſacra proficiſcatur comitante Thurario miniſtro, dextra ſimpuvium, laeva pateram defert. In hac Statua, quae quidem non ſatis perfecta fuit a Romano Sculptore, perpauca occurrunt indicia quae CAMILLVM Sacrorum miniſtrum perſpicue adſtruant; attamen quia Camillum nonnulli appellant, hoc nomine in lucem prodire ſinamus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/gori1734bd3/0236
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die
DFG

INDEX
RERVM
QVAE IN ANTIQVIS STATVIS
HVIVS VOLVMINIS
OBSERVANTVR.

Numeri Romani Praefationem, Vulgares Obſervationes indicant.

AEneus & Ariſtaeus celebres pancratiaſtae. 74.
Acoëtes a Baccho valde amatus. 52.
ADONIS adoleſcens pulcherrimus a Venere amatus. 40. Martis invidia ab apro vulneratus. *ibid.*
Addiſſonii erratum notatur. 51.
Aegyptii omnium primi alas Diis dederunt. 26. eorum numina cum capite ornato vel turri, vel calatho. 27.
M. Aemilii Lepidi pueri Statua bullata in Capitolio Senatus conſulto poſita. 92.
AESCVLAPIVS pallio amictus. 3. 4. interdum nudis pedibus, interdum etiam calceatis. 32. Serpens ei tributus. *ibid.* ſed eum non paſcit. 32. Medicinae parens cum Hygia frequenter ſculptus. 31. eius ſimulacrum in templo Concordiae. *ibid.* caput eius laneo ſtroppo, ſeu corona revinctum. *ibid.* & 32. manu herbarum faſciculum praefert, quo Glaucum ad vitam revocaſſe ferunt. *ibid.* eidem tributa teſtudo. 17. dedicatum aereum perparvum Somni ſimulacrum. 32. 33.
AGRIPPINAE Statua ſedentis habitu producitur, & illuſtratur. 90. eius protoma indicatur. *ibid.*
Agrius Centaurus ab Hercule proſtratus. 66.
Alae tributae Dianae, ſeu Lunae, cuius imago expreſſa in corpore Dianae Epheſiae. 27.
Alae Diis datae ab Aegyptiis, & ab Etruſcis. 70.
Aldrovandus Vlyſſes laudatus. XVI.
Algardius Alexander Veneris Caeleſtis ſignum inſtauravit. X.
AMOR ludens in gremio Veneris Genetricis deſcribitur. 39. eam e mari emergentem excepit. 34.
Amor *Caeleſtis*, & *Vulgaris*, ſeu Popularis. 47.
AMOR SAGITTARIVS arcum tendens ſurſum ut Deos ſagittis iaculet. 47.
AMOR & PSYCHE mutuis amplexibus ſe conſtringunt, & oſculantur. X. 48. Amor corpus repraeſentat, animam Pſyches. *ibid.* eorum nuptiae in caelo celebratae. 49. eiuſdem Amoris, & Pſyches myſteria occulta fuere, & vulgo non credita. 49.
